MASTER
NEGATIVE
NO. 93-81175-10

AUTHOR:

DINGELSTAD, HERMANN

TITLE:

DE EURIPIDIS HELENA ...

PLACE:

MONASTERII

DATE:

[1865]

Master Negative #

93-81175-10

COLUMBIA UNIVERSITY LIBRARIES
PRESERVATION DEPARTMENT

BIBLIOGRAPHIC MICROFORM TARGET

Original Material as Filmed - Existing Bibliographic Record

88EX3
DD Dingelstad, Hermann.
De Euripidis Helena ... Monasterii, typis Iosephi Krick, [1865].
54 p. 24 cm.

Thesis. Münster.

~~D88ED Copy in Classics Reading Room.~~
~~Z8-~~
~~v.1~~

20695

Restrictions on Use:

TECHNICAL MICROFORM DATA

FILM SIZE: 35 REDUCTION RATIO: 11x
IMAGE PLACEMENT: IA (IIA) IB IIB
DATE FILMED: 3-18-93 INITIALS Susan
FILMED BY: RESEARCH PUBLICATIONS, INC WOODBRIDGE, CT

AIIM

Association for Information and Image Management

1100 Wayne Avenue, Suite 1100
Silver Spring, Maryland 20910
301/587-8202

Centimeter

Inches

MANUFACTURED TO AIIM STANDARDS
BY APPLIED IMAGE, INC.

DE EURIPIDIS HELENA.

COMMENTATIO PHILOLOGICA,

QUAM

CONSENSU ET AUCTORITATE

AMPLISSIMI PHILOSOPHORUM ORDINIS

IN

ALMA LITTERARUM ACADEMIA REGIA MONASTERIENSI

AD

SUMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES

RITE IMPETRANDOS

DIE XV. MENSIS IULII A. MDCCCLXV.

PUBLICE DEFENDET

HERMANNUS DINGELSTAD,

PRESB. MONAST.

MONASTERII,

TYPIS IOSEPHI KRICK.

PARENTIBUS

optimis carissimis

hasce studiorum primitias

pio gratoque animo

D. D. D.

SCRIPTOR.

1. Tres illi, quorum integrae ad nos tragoediae pervenerunt, Graecorum poëtae tragici studiis iudiciisque hominum quam maxime diversam habuerunt sortem. Sophoclis sane laudem ad unum omnes, quorum quidem intelligens incorruptumque est de arte poëtica iudicium, celebrant semperque celebrarunt; et tragoediae eius praeclarissimae omnibusque fere numeris absolutae ut antiquis illis temporibus libentissime spectari in theatris, ita omnium .maxime postea tractari legique solebant et nunc solent. In Aeschyleis autem fabulis iudicandis non eandem semper admirationem invenias, neque in docendis legendisque parem ubique deprehendas assiduitatem. Nonnulla eius quae putabantur vitia iam ab Aristophane [1]) quamvis leviter ac tecte perstringuntur; ab aliis deinde alia vituperabantur, acrius, sed plerumque iniuste. Quin etiam tragoediae eius, aequalibus quidem magnopere probatae, postea, quum propter magnam quam habent sententiarum vim gravitatemque et magnificentiam verborum ac granditatem minus intelligerentur [2]), rarius iam in scenis agebantur, postremo prorsus a theatris remotae sunt. Ac ne docti quidem illi, qui Alexandriae et Byzantii floruerunt, grammatici eo quo par erat studio huius poëtae fabulas tractabant. Proximis demum ac nostris temporibus doctorum hominum Schuetzii, Blomfieldii, Hermanni, Heimsoethii, aliorum opera factum est, ut diligentius legeretur, melius intelligeretur eundemque in omnium fere aestimatione recuperaret locum, quem una

[1]) Cf. Nub. 1367 squ. Ran. 914. 15. Ran. 814 sqq. fragm. inc. 40.

[2]) Welckerus ne Aristotelem quidem Aeschyli tragoedias satis intellexisse putat, Trilog. p. 528; cf. Klein., geschichte des drama's I p. 298.

cum Sophocle in Aristophanis Ranis tenet.[3]) — Maxime vero diverse et plane contrarie de Euripidis arte a primis illis, quibus in publicum prodiit, temporibus usque ad nostram aetatem est iudicatum, quum alii nimis effusa eum et paene effrenata admiratione celebrarent, quod summum perfectae artis fastigium attigisset, alii, quod omnes easque gravissimas leges artis neglexisset vel consulto potius infregisset, acriter vehementerque in eum inveherentur. Quorum qui laudaverint eius artem, prius videamus quam brevissime.

2. Omnia fere antiquis temporibus theatra tragoediae eius occupabant; gravibus probabantur philosophis nec minus poëtarum comicorum leves animos vera implebant admiratione; versus eius in ore plebis, in ore regum erant; Graeci exterique poëtae ad id se exemplar formabant; legendis, tractandis, explicandis eius fabulis homines docti nec defuerunt unquam nec desunt. Atque inter philosophos huic poëtae amicissimos imprimis nominandi sunt Socrates, Plato, Aristoteles[4]), quorum primus alias praeter Euripidis tragoedias spectare prorsus noluit; alter in scriptis suis sapientiam Euripidis doctrinamque saepius laudavit; tertius tanti eum poëtam aestimavit, ut in libris, quos de arte poëtica et rhetorica scripsit, leges ipsarum artium ex Euripidis potissimum poëmatis deduceret[5]), nec dubitaret eum omnium poëtarum tragicorum appellare τραγικώτατον. — Nec minore Euripidem prosecuti sunt studio poëtae comici[6]): Diphilus, qui „aureum" illum nominavit, Menander, qui divinis paene honoribus tragoedias eius coluit, Philemon, cuius exstat fragmentum

---

3) Cf. Ran. 787 sqq. 1515 sqq.

4) Ael. V. H. 13. — Plato de rep. VIII p. 568. — Aristot. Poët. XIII, 6, Rhet. 11, 5; alia philosophorum testimonia affert Diog. Laert. cf. Hart. Eur. rest. Vol. II p. 577.

5) Cf. Bernh. P. II V. II p. 188 „die basis seines (Arist.) urtheils ist unzweifelhaft Euripides oder die pathologische tragoedie ... aus ihrem schematismus hat er das mehr der regeln entnommen; darueber Welcker, Aeschyl. Tril. und Nitsch, Kiel. progr. 1846.

6) Athen. X p. 422 B; p. 410 cf. Bernh. P. II V. II p. 360.

huius fere sententiae „suspendio sese mortem oppetiturum, si mortuo sibi liceret Euripidem videre." — Quod Plutarchus narrat[7]), captos in expeditione Siciliensi milites Athenienses recitatis versibus Euripideis liberos esse dimissos, inde facile intelligas quantopere inferioris quoque conditionis homines poëta iste delectaverit; quod etiam clarius ex narratiuncula illa Luciani[8]) quamvis iocosa apparet, qua totam Abderitarum civitatem nimia Euripidis admiratione insanire fingit. — Reges denique maximique duces quanti Euripidem fecerint, ex illis, quae de Archelao, Macedonum rege, de Alexandro Pheraeo, de Dionysio, Syracusarum tyranno, de Alexandro Magno, de Ptolemaeo Euergeta, Caesare, Nerone[9]), aliis traduntur, satis elucet. — Ac ne poëtae quidem tragici, id quod plurimum valere videtur, laudi eius defuerunt. Nam quicunque postea, non apud Graecos solum, sed etiam apud exteras nationes imprimisque Romanos, Italicos, Francogallicos, exstiterunt poëtae tragici Euripidis imitati sunt artem[10]), idque ita saepius, ut vestigia eius premerent. — A doctis postremo hominibus quanto studio antiquis temporibus hic poëta tractatus sit atque laudatus, ex scriptis Plutarchi, Luciani, patrum quoque qui dicuntur ecclesiae, Clementis Alexandrini, Gregorii Nazianzeni, ex florilegiis denique Orionis, Stobaei, Maximi, Johannis Damasceni satis potest cognosci. Recentiori autem tempore laudatores defensoresque Euripides nactus est homines doctos Hoofdium, Grotium, Heinsium, Valckenaerium, Westrikium, aliosque Batavos; nostrates Jacobsium, Lessingium, Tieckium, Raumerum, Hartungium, Rappium, alios.[11])

---

7) Vit. Nic. 29.

8) De conscrib. hist. 1.

9) Cf. Vit. Eurip.; Suid. s. v.; Syncell. p. 500, 7; Solini Polyh. c. 9, 17; — Plut. vit. Pelop.; Ael. XIV, 40; Hermippus in vit. Eurip.; Plut. vit. Alex.; Athen. XII, 538; Cic. de off. III, 21; Suet. Nero 21.

10) De Eurip. imitatt. cf. Hart. Eur. rest. II p. 573, 577, 581.

11) Cf. Valcken. diatribe in Eurip. perd. dram. reliquias, Lipsiae 1824, eiusque libri praef.; — Westrik., de Aeschyli Choëphoris, deque Electra cum Soph. tum Eurip., LB. 1826; — Jacobs., nachtraege zu Sulzer's

3. Neque tamen defuerunt qui hunc poëtam acerrime vituperarent. Inter aequales iam plurimos eius fuisse adversarios, facile intelligimus. Toties enim quum tragoediis certaverit, quinquies tantum coronatus est. Inter omnes autem, qui unquam in Euripidem invecti sunt, quum aggrediendi vi ac vehementia, tum summa arte iudiciique subtilitate primum locum obtinet Aristophanes. Qualis enim fuerit Euripidis, quam acer indefessusque adversarius, ex comoediis eius superstitibus cognoscitur. Quarum una, Ranas dico, ingeniosissimae ac maxime severae Euripidis censurae unice est destinata; alias complures, ut Thesmophoriazusas, Acharnenses, Nubes quam plurimis iisque multo sale conditis ludibriis videmus refertas; denique nullam omnino ne inter amissas quidem fuisse suspicari licet, qua non aliquo modo hunc poëtam tecte perstrinxerit. — Etiam scholiastae Euripidis, homines ceteroqui valde pacifici, nonnunquam negligentiam licentiamve eius vituperare ausi sunt. Recentioribus vero temporibus et saepius et vehementius reprehensus est Euripides a Beckero, Schlegelio, Gruppio, Bunsenio, Niebuhrio, Kleinio [12]), aliis. — Atque ut omnia brevi complectar, quae adhuc de Euripide disputavi: antiquis temporibus multo plures fuerunt, qui laudibus eum efferrent ita, ut vel secundus post Homerum iis esse videretur; eundem qui vituperarent, proximo tempore videntur praevaluisse, ita tamen, ut Romanicis quae dicuntur nationibus magis probaretur, a Germanicis acrius impugnaretur. —

4. Quodsi nunc ego quoque ad tractandum poëtam accedere audeo, de quo per viginti circiter saecula sub iudice lis

---

theorie u. s. w.; — Lessing., Hamb. dramat.; Tieck., dramat. blaetter; — Raumer., hist. taschenbuch 1841; Hartung., Eur. restitutus; — Rapp., geschichte des griechischen drama's.

[12]) Cf. G. W. Becker., biblioth. der schoenen wissensch. vol. 67, 2 p. 179 sqq.; — A. W. Schlegel., vorlesung. ueb. dram. kunst und lit. vol. I; — Grupp., Ariadne, oder die trag. kunst der griechen; — Bunsen., gott in der geschichte; — Niebuhr., nachgelassene schr.; — Klein., geschichte des drama's, Vol. I. cf. Luebker., die theol. des Eurip.

est, nemo id in me impudentiae esse putabit, ut dirimere hanc mihi litem sumam. Ac ne id quidem profiteor, hoc potissimum commentationis argumentum ut eligerem, Bernhardyi, viri clarissimi et de Euripide verius rectiusque iudicando inter omnes aequales optime meriti, verbis illis me esse excitatum, quae leguntur in praef. ad hist. lit. Graec., part. II vol. II p. IX: „(das studium des) Euripides aber schleicht fortwaehrend nach und seine herausgeber haben eher fuer den nachweis der diplomatischen ueberlieferung, als fuer erschoepfende charakteristik seiner dramen gesorgt." Non docere volo, sed doceri et aliqua saltem ex parte intelligere, quinam sit ille poëtarum Proteus, de quo tam diversa exstent iudicia. Quam ob rem unam mihi fabulam Euripideam tractandam delegi, Helenam, a nonnullis quidem doctis hominibus et elegantibus laudatam, a pluribus vehementer vituperatam. [13]) Quam disputationem ita placuit instituere, ut

primum de summa huius tragoediae sententia et de universa Euripidis philosophia agam;

deinde dicam de compositione fabulae et de arte poëtae;

tum observationes aliquas adiiciam exegeticas et criticas, quae in legenda tragoedia mihi occurrerunt.

---

[13]) Inter viros doctos, qui de compositione huius fabulae egerunt, inprimis nominandi sunt: Wielandius, neues att. mus. vol. II; — Hartungius, l. l.; — Firnhaberus, Zimmermann's zeitschr. fuer alterthumswissensch. 1839; — Hermannus, praef. edit.; — Pflugkius, praef. edit.; — Schlegelius, l. l.; — Gruppius, l. l.; — Heinischius, prolegomena in Eur. Hel.; — Bernhardyus, l. l.; — Kleinius, l. l. — Qui viri quum plurimas res praeclare tractaverint, de nonnullis tamen ac praesertim de summa huius fabulae sententia minus recte videntur iudicasse. De singulis fere in commentationis decursu exponetur.

Particula I.

De summa, quae in Euripidis Helena inesse videtur, sententia et de universa Euripidis philosophia.

§. 1. Tragoediae decursus adumbratur.

1. In diiudicanda quae proposita est tragoedia in utramque partem peccatum est, quum alii, ut Wielandius, Hartungius, Firnhaberus, nimis effuse eam laudaverint, alii, Schlegelium dico, Gruppium, Bernhardyum, Kleinium, nimis acriter fortasse vituperaverint. Quorum quidem iniquum iudicium ac nimis severum inde potissimum profluere videtur, quod aliud quiddam poëtae propositum fuisse hi viri docti statuerunt quam revera fuit. Nam quum illud, quod poëta spectavit, seu summa tragoediae sententia, quasi anima sit totum poëmatis corpus et singulas eius partes sibi formans ac constituens, mutata ea sententia totum pariter iudicium mutari necesse est. In investiganda autem summa omnis poëmatis sententia illud tenendum est, eam non a rebus exterioribus petitam in opus ipsum inferri deberi, sed ex eius summa ac ratione efficiendum esse, quam potissimum veritatem poëta illustrare voluerit. Quod ut fieri possit, tota tragoedia quam brevissime videtur enarranda.

2. Prologum ipsa Helena recitat; spectatores docet de terra, in qua tragoediae actio versatur, de Proteo, rege illius terrae, nuperrime mortuo eiusque filiis Theoclymeno et Theonoa, de sua ipsius et origine et fortuna: Junonem, dicit, Venerem, Mi-

nervam de pulchritudine inter se certasse; vicisse in eo certamine Venerem, quum Paridi arbitro Helenam promisisset uxorem. Paridem autem, Spartam profectum promissam hanc uxorem ut peteret, Junonis fraude non ipsam Helenam, sed simulacrum tantum aëre confectum secum asportasse. Sese ipsam a Mercurio, nube circumfusam, in Aegyptum translatam et Portei regis custodiae commissam esse, qui intactam Menelao uxorem redderet. Menelaum vero cum magno Graecorum exercitu ad repetendam uxorem Troiam profectum esse illudque bellum a Jove excitatum, quo Terram matrem onere mortalium levaret [1]. Nunc sese, quae coniuge, patria, quin etiam honesta fama privata, quamvis innocens, attulerit causam, quare plurimis clarissimisque Graecorum et Troianorum viris mors praematura fuerit obeunda, eo uno iam solatio vitam tolerare, quod a deo promissum acceperit, maritum, patriam, honestam famam, omnia sese recuperaturam. Qua spe ductam ad sepulcrum Protei sese supplicem confugisse, ut Theolymeni regis, qui suum connubium appeteret, insidias effugeret. (cf. v. 1—67 [2]).

3. Accedit Teucer, qui a patre Telamone repulsus, quod sine Aiace fratre Troia redisset, novam patriam quaerens in Aegyptum venit, ut Theonoam, fatidicam virginem, de itinere consulat. Helenae tristissima nuntiat: captam esse Troiam, clarissimos Graecorum heroas mortem occubuisse; Menelaum, domum nondum reversum, pro mortuo haberi; Ledam matrem propter filiae infamiam sua sibi manu mortem conscivisse; Dioscuros ob ignominiam a sorore Helena illatam propria manu interemtos animum efflasse; Helenam ipsam omnibus Graecis maximo odio esse. Tum huic ipsi, quam non agnovit, propter animum in se benignum fausta, Helenae autem dira et perniciosa precans, iter institutum ut persequatur, de scena decedit. Tum

---

1) Achilles quomodo h. l. poëtae obversari potuerit non video ac v. 41. γνωτόν τε θείη τὸν κράτιστον Ἑλλάδος, cum Badhamo suppositicium esse censeo.

2) Numeri sunt editionis Nauckianae, Lips. 1854.

vero Helena, quae coram Teucro animi dolorem dissimulaverat, gravissimas effundit querelas. Quibus excitatus chorus accurrit, ex feminis Graecis constans, Helenamque, tristissimos Teucri nuntios lamentantem atque exclamantem: post tot tantosque immeritos casus ac dolores, mortuo coniuge, ultimam iam periisse spem ac sibi mortem solam superesse voluntariam — prudenter erigit et consolatur, illud imprimis monens, ne nimis nuntii illius verbis credat, vatem potius Theonoam de mariti sorte consulat. Quo chori consilio probato omnes sese ad virginem illam conferunt. (v. 68—385.)

4. Brevi intervallo Menelaus in scenam inducitur. Per septem annos omnibus fere in maribus iactatus tum maxime prope ab Aegypto naufragium fecit. Navi perdita simulacrum Helenae, quod Troia secum duxerat ac pro vera Helena habebat, spelunca abditum sociis, qui e naufragio pariter evaserant, custodiendum tradidit. Ipse pannosus ut victum sibi sociisque quaerat, ad regiam, quam videt, sese confert. Sed ostium pulsanti anus ianitrix respondet: perquam importune in Aegyptum eum atque ad regis aedes venisse; regis enim animum omnibus Graecis magnopere esse infensum; idque Helenae, Tyndarei, Spartanorum regis, sive Jovis filiae, quae ante bellum Troianum in Aegyptum adducta esset, culpa esse factum. Quibus auditis Menelaus stupefactus relinquitur. Tandem sibi persuadere conatur, esse in Aegypto quoque Spartam urbem, eiusque urbis Tyndareum regem, eiusque Tyndarei regis filiam Helenam, cui nulla tamen cum sua uxore, Troia repetita, ratio intercedat. Jam igitur iterum ad regiam se convertere instituit, quum chorus et post illum Helena incedit. Laetis vaticiniis illius virginis, quam cum choro consultum ierat, erecta est. Menelaum adhuc vita frui et prope esse et iamiam eum sese visuram esse cognovit. Reditum autem in patriam nec virgo vaticinata nec ipsa ex ea exquirere ausa erat. Quae dum secum reputat, subito Menelaum animadvertit; misero hominis habitu cultuque paulisper exterretur; tum vero maritum agnoscens, laetabunda accurrit, ut eum amplectatur. Menelaus autem quum certo sciat, uxorem sese Troia secum duxisse, sociorumque custodiae reliquisse, eam arcet, dubitans utrum haec in oculis posita an illa sociis commissa vera sit Helena, donec ipsa, quo maxime dubitationem eius sublatum iri speraverat, eum prorsus repulit, admonendo scilicet, nomen quidem Helenae pluribus locis esse posse, veram Helenam uno tantum loco. „Quare in qua nunc sum dubitatione, inquit Menelaus, illam veram uxorem habebo, pro qua ante Troiam tot tantosque perpessus sum labores; valeas" — iamque miserrimam derelicturus est, quum unus ex sociis illi occurrit nuntians, Helenam, quam custodiendam ipsis tradidisset, in coelum evolasse. Tum igitur Menelaus simulacro sese deceptum fuisse intelligit veramque uxorem maximo gaudio amplexatur. (v. 386—624.)

5. Summo illo laetitiae ardore, qui quasi sponte in cantum sese effuderat, paulatim sedato, tandem Helena quantum ex Theoclymeno rege periculum marito sibique immineat, quamvis invita, monet. Unicam evadendi spem in Theonoa, regis sorore, positam esse. Hanc igitur virginem quam celerrime precibus aggrediendam esse, ut fratrem regem Menelai adventum celet. Properantibus illis occurrit Theonoë, quae, quum preces benigne audierit, nihil sese fratri aperturam esse pollicetur; ceterum ipsi cogitent, quomodo salutem petant. Qua de re continuo inter Menelaum et Helenam deliberatur. Menelaus quum nihil sani in medium protulerit, callida uxor hocce artificium proponit: ut miserrimam sortem effugiant, regem esse fallendum; idque fieri posse, si Menelaus, lacera et squalida veste indutus, comitem sese ipsius Menelai fuisse simulet atque dicat, ex naufragio se vix esse servatum, quo Menelaus ante ipsius oculos perierit. Sese ipsam acerbissimum tum de mortuo marito luctum esse acturam ac regi, matrimonium iterum monenti, ita cessuram, si prius illum, qui fluctibus obrutus sit, sepelire et inferias in mare demittere sibi liceat; navi deinde, quam rex sit daturus, in Graeciam sese properaturos. Quo consilio probato Helena Menelaum, ut a vi regis tutus sit, ad Protei sepulcrum remanere iubet, ipsa Junonem et Venerem deas precata, ut propitiae essent, in domum abit. Chori deinde carmine Graecorum Troianorumque mala, Helenae simulacro allata, deplorantur.

Quid in fortuna casibusque hominum ad deos referendum sit, quid non, perobscurum esse. Helenam ipsam, Jovis filiam, immerito mala fama violari. Deorum tamen verbum verum esse, (1150: τὸ θεῶν ἔπος ἀλαθὲς εὗρον); insanos esse quotquot virtutis laudem bello comparent litesque mortalium hastis dirimant. Hac stultitia Troianos periisse, quum verbis litem componere licuisset. (v. 625—1164).

6. Theoclymenus rex, a venatu domum rediens, quum hominem Graecum furtim Aegyptum intrasse audierit eamque ad rem venisse suspicetur, ut Helenam sibi abduceret, gravissimas illi poenas minitatur. Sepulcrum deinde ab Helena relictum videns, magno timore afficitur, ne iam aufugerit. Nihilominus, ubi primum Helena pullata tonsoque capillo obviam veniens dominum eum salutavit, ubi multis cum lacrimis ei narravit, mortem Menelai ab homine illo Graeco, ad tumulum sedente, sibi esse nuntiatam, ubi novum cum eo matrimonium non iam amplius recusavit — Theoclymenus, amore eius occaecatus, omnem suspicionem facillime missam facit, omnia credit, libenter omnia concedit. Omnes deinde, ut comparent quae ad sepulturam Menelai necessaria videntur, intro abeunt. Chorus carmine venustissimo Cereris dolorem depingit et iram, quam propter filiam, a Plutone sibi ereptam, conceperat narratque quomodo a Venere haec ira placata sit. (v. 1165—1368.)

7. Helena, e regia revertens, omnia prospere processisse choro nuntiat: Theonoam, promissis stantem, nihil fratri aperuisse; Menelaum vestibus et armis ornatum esse. A choro deinde petit, ut ipse quoque silentio et dissimulatione sese adiuvet. Tum Theoclymenus cum servis, qui res ad funus Menelai necessarias portant, prodiens rogat, ut ab aliis inferias patrari Helena patiatur, ipsa remaneat. Quod quum impetrare non potuerit, Helena hortante navem parari omnesque remiges Graeco illi homini, quem Menelai comitem habet, obedire iterum ac tertium apertis verbis iubet. Ipse, nullam prorsus in suspicionem vocatus, ut nuptiarum sollemnia epulasque praeparet quam splendidissimas, laeto animo sese accingit. Menelaus autem Jovem, optimum sapientissimum, obtestatus, ut se adiuvaret, cum uxore abit, ut in navem conscendant. Chorus abeuntes optimis ominibus prosequitur. (v. 1369—1511.)

8. Ad finem iam tragoediae pervenimus. Nuntius ex remigibus illis Aegyptiis, qui Helenam comitati erant, accurrit regique stupefacto narrat, Helenam navi, quam ipse praebuerit, aufugisse. Graecum enim illum hominem, qui Menelai mortem nuntiaverit, non comitem eius, sed ipsum fuisse Menelaum eoque artificio regem turpissime circumventum esse. Sibi autem dum navem deducerent atque adornarent, homines quosdam Graecos sese adiunxisse: quos Menelaum invitasse, ut secum sacra illa perficerent. Sed ubi in altum perventum sit, homines illos promptis quos vestibus occuluissent gladiis remiges navis trucidasse; sese unum ex eo numero mortem effugisse. Menelaum vero cum uxore et sociis secundis ventis in Graeciam properare. Rex quum persequendo illos consequi se posse desperet, summo in Theonoam sororem furore exardescit. Omnem enim in illam culpam confert. Chorus eum retinere non potest atque ut sororem occidat, iamiam decedit, quum Dioscuri, Helenae fratres, nube circumfusi, ex improviso apparent, regis furorem placant, Helenae sorori auxilium promittunt, ut tuta ac secura in patriam possit redire, quin etiam Jovis voluntate factum iri praedicant, ut ipsa post mortem dea fiat divinisque honoribus colatur, Menelaus autem in fortunatorum insulis sedem accipiat. (v. 1512—1692.)

9. Atque ut brevi totius tragoediae summam complectar, innocens mulier malis deae Veneris artificiis immerito patria, marito, honesta fama privatur. Id fieri summus deorum, Juppiter, ad tempus patitur, ut maiora quae in animo habet, perficiantur. Miseram tamen illam initio certiorem facit, pristinam felicitatem eam esse recuperaturam. Quam ad felicitatem sensim eam ac gradatim reducit, ita ut maritum, patriam, honestam famam deinceps recipiat, inimica autem deae Veneris consilia prorsus irrita evadant.

§. 2. Quae sit summa tragoediae sententia exquiritur.

1. Magna inter viros doctos et elegantes est dissensio de eo, quod in componenda hac fabula Euripides spectaverit. Qua de re levissime disputat Gruppius in libro, qui inscribitur: Ariadne oder die tragische kunst der Griechen. (Berol. 1834.) Postquam enim Schlegelium vituperavit, quod mythi illius de Helenae simulacro Euripidem fecisset inventorem, qui Stesichorus esset, hoc dicit p. 397: „dann aber kann man auch das stueck des Euripides nicht zu seinen missrathensten zaehlen; es hat vielmehr schoene einzelheiten und in der erkennungsscene sogar, was selten ist, einen anflug von gemueth. und diese erkennung war es denn hauptsaechlich, warum iener seltsame stoff unserm dichter willkommen hiess.“ Haec verba poëtam comicum significare videntur, quamquam ne comici quidem poëtae est, delectare tantum spectatorum animos rebus miris atque improvisis, id quod Euripidi praecipue propositum fuisse Gruppius illo loco censet. Tragica autem gravitate eiusmodi consilium solam delectationem spectans prorsus est indignum. Neque ad probandam Gruppii sententiam afferri potest id, quod omnes fere Euripidi exprobrant, saepissime eum theatrum esse adulatum. Nam etiamsi concedendum esset, aequo magis eum spectatorum plausum captasse, longe tamen abesset, ut totam tragoediam eo potissimum consilio composuisse videretur. Quod quidem Euripidem deliquisse eo etiam minus credibile est, quod philosophiae hic poëta ita deditus fuit, ut praecepta philosophica omnibus fere tragoediis intexuerit aut tamquam materiam subiecerit, ac suo iure „scenae philosophus“ appellatus sit.[3]) Itaque ne in hac quidem tragoedia omnem philosophiam deesse puto.

---

3) ὁ ἐπὶ σκηνῆς φιλόσοφος: Euseb. pr. evang. 10, p. 296. cf. Aeschin. c. Tim. 151; — Aristoph. Nub. 1379. —

2. Aliter de sententia huius fabulae Hartungius iudicat. In libro enim, quem inscripsit: Euripides restitutus, sive scriptorum Euripidis ingeniique censura (Hamburgii 1843—44), hoc disserit vol. II p. 321: „quod (Stesichori) inventum multis nominibus gratum nostro conveniensque esse visum est. Nam quum probrosos esse Troicae Helenae mores cum Stesichoro iudicaret, tum exemplar proponi venustissimae eiusdemque probissimae mulieris et utile et iucundum esse ducebat. Et solam eam venustatem, quae cum probitate iuncta esset, veram esse censebat venustatem, illam alteram autem speciem inanem, qua deceptos Graecos Troianosque decem annorum proeliis laboribusque toleratis nihil nactos esse commodi praeter virtutis exercitationem. Itaque Menelaum quum antea falsa venustatis specie delectatus esset, ubi veram aspexisset, statim illam omisisse et hanc amplexum esse et tum demum liberatum erroribus beatum fuisse.“ — Venustatem igitur, quae virtute sit destituta, falsam esse hominesque reddere infelices, venustatem autem, quae cum probitate coniuncta sit, veram esse eamque solam homines reddere posse beatos, poëta hac fabula, ut Hartungio videtur, docere voluit. Falsam venustatem vana illa Helenae imagine, quae Troiam ducitur, veram autem ipsa Helena, quae in Aegypto servatur, significari apparet. Videamus igitur, quinam in hac tragoedia falsa illa venustate i. e. simulacro Helenae reddantur infelices. — „Graeci, dixerit quispiam, Troianique.“ — Sed neque nominatim Graecorum Troianorumque labores hac fabula tractantur, neque si tractarentur, ex improba illa venustate possent derivari: Paris enim mulierem vel castissimam si rapuisset invitam ac vi secum traxisset, nonne idem illud bellum Troianum exardescere potuisset? — „At Menelai labores erroresque ex improbitate Troicae illius Helenae orti sunt.“ — At iidem, credo, fuissent belli labores, si pro fideli uxore fuissent tolerandi. Non igitur i m p r o b i t a s raptae mulieris, sed rapta mulier bellum Troianum omnesque, quae illud secutae sunt, miserias excitavit. Neque magis intelligo, venustatem cum virtute coniunctam, i. e. veram Helenam Menelaum statim erroribus liberasse ac beatum reddidisse, cui, agnita in Aegypto vera uxore, plurima etiam maxima-

que pericula imminuisse videamus. — At fortasse exteriorem Hartungius nec felicitatem intellexit nec infelicitatem; immo vero animum ac mentem vera venustate expleri, falsa autem, i. e improbae mulieris pulchritudine non satiari, id fortasse Hartungius putat hac tragoedia proponi. — Sed ubinam poëta dicit, Menelaum Helena illa, Troia repetita, non beatum fuisse? — ubinam sunt, quae Hartungius legisse videtur: „Menelaus ubi primum veram Helenam aspexisset, illam falsam eum statim omisisse, hanc veram esse amplexum"? — Prorsus contraria invenio: illa, quam Troia secum duxit, falsa Helena maxime contentus, nullis verae uxoris argumentis precibusque commovetur. (cf. v. 550—590.) — Quid igitur eiusmodi tragoediae inesse Hartungius vidit? An vero dicere voluit, si non propterea quod simulacrum seu falsam haberet venustatem, at dum haberet, adversa Menelaum usum esse fortuna; ac si non propterea quod veram ac probam invenisset uxorem, at postquam invenisset, in patriam tandem eum esse restitutum postulavitque ut ea, quae solo tempore coniunxit poëta, tamquam interiori quodam nexu coniuncta accipiantur? — Hoc si postulat, nimium profecto postulat. — Denique recte si Hartungius disputasset, vel ipsa tragoediae inscriptio alia esse neque Helena, sed Menelaus primas partes agere debuisset. — Sed vereor, ne diutius in refutanda hac sententia commoratus sim, quam postea auctor ipse si non reiecisse at immutasse videtur.

3. In editione enim Helenae, quam postea confecit, (Euripides' Helena, griechisch mit metrischer uebersetzung, Lipsiae 1851) compositam esse hanc tragoediam censet, ut Jovis filia ab adulterio purgaretur. Dicit enim p. 6: „(Euripides,) in dessen augen sich der werth des menschen lediglich nach der tugend bestimmte, urtheilte ueber die Troische Helene strenger als Homer: sie war ihm der verachtung und des abscheu's wuerdig.... in derselben weise erschien ihm auch Menelaus veraechtlich, wenn er den krieg erregte, um die ehebrecherin wieder zu bekommen, nicht, um sie zu zuechtigen.... sollten also diese beiden personen als heroën und abkoemmlinge des Zeus die ihnen gebuehrenden ehren geniessen, so mussten ihnen

andere gesinnungen und andere thaten, als die gewoehnliche sage ueberlieferte, untergelegt werden: und das geschieht in der vorliegenden tragoedie." — Assentitur igitur Hartungius viro clarissimo, Schlegelio, qui multo antea eandem fere sententiam professus est. Sed ne illam quidem sententiam probandam esse puto. Defendi hac quidem tragoedia ac purgari Helenam ab adulterio, sane concedendum est neque quemquam, qui vel primoribus, ut dicunt, labris hanc fabulam gustavit, id effugere potest. Sed non sequitur, ut id ipsum praecipue, ne dicam solum poëtae propositum fuerit. Quod quominus statuamus, ipsius fabulae et oeconomia, quam dicunt, et universa ratione videtur prohiberi: oeconomia quidem, quia, quoniam in medio iam poëmate Helena a marito agnoscitur, reliqua et maior tragoediae pars (inde a v. 700 usque ad finem, v. 1690) omnino supervacanea esset. — Neque minus universa tragoediae ratio Hartungii sententiae repugnat. De mala enim Helenae fama non ita poëta loquitur, ut flagitii illius, quod filiae Jovis iniuste imputetur, dedecus primo loco collocet. Non iterum ac tertium praedicat, Helenam, utpote Jovis filiam, peccare non potuisse, sed eam non peccasse et tamen ab hominibus in culpa haberi, ut spectatorum animos ad dolendum eius casum commoveat, nonnunquam admonet. Quare non defendere Helenam, sed commiserari videtur.

4. Sed fortasse putaverit aliquis, Hartungii sententiam paulum si amplifices ac non id solum poëtae propositum fuisse dicas, ut a crimine adulterii Helenam liberaret, sed etiam, ut in contrariam partem eam celebraret alteramque Penelopen constantia fideque erga maritum insignem depingeret, facillime hanc, quam ex tragoediae oeconomia et universa eius ratione indicavimus difficultatem sublatum iri. Quod si feceris, non iam supervacaneam et inutilem futuram alteram tragoediae partem, sed prorsus necessariam, eam scilicet ad rem, ut Theoclymeni amore insidiisque Helenae constantia probetur; atque id ipsum universa quoque tragoediae ratione effectum iri, qua quidem Helena, quamvis miserrime fuerit mala fama violata, nihilominus dicatur virtutis viam non deseruisse. — Sed ne huic quidem sen-

tentiae assentimur. Refellitur enim vel ipso tragoediae argumento. Neque enim ad eam rem mira illa et tam violenta fabulae immutatione opus erat, quam ne ab Euripide quidem sine gravi causa admissam esse arbitror. Nonne multo et facilius et pulchrius Helenae virtutem celebrare poterat poëta illam mythi formam recipiens, qua vi abrepta esse Helena dicitur? nonne minus Euripides spectatorum animos offendisset, si ita cum Homero discrepasset, ut Helenam Troiae retentam summa constantia Paridis promissa fingeret repudiantem omnibusque vexationibus ac tormentis fortiter resistentem, donec a marito ex incendio Troiae magna cum gloria erepta esset ac liberata? — Sed ne universa quidem tragoediae ratio eam sententiam videtur praebere. Helenae enim vexationes, quae ex Theoclymeni amore oriuntur, indicantur quidem, sed non oculis spectatorum proponuntur. Neque Theoclymenum ipsum videmus instantem et blanditiis minisque urgentem. Levius omnino illa res attingitur, quam ut universam tragoediam ad eam referri nobis quis persuadeat. Tum vero, constantiam Helenae ac fortitudinem si celebrare voluisset poëta, ita secundum regulas artis rem debuisset instituere, ut Helena adversarium superaret, non effugeret.

5. Ipsius igitur tragoediae oeconomia, quam dicunt, et universa ratione illa Schlegelii Hartungiique sententia refellitur; causis autem aliunde petitis quomodo possit probari, non video. Nam quod ex celeberrima illa Stesichori palinodia Euripides fabulae argumentum sumpsit, inde, credo, non efficitur, idem quod Stesichoro, qui quidem Helenam sese defendere velle disertis verbis dicit, docendum propositum fuisse Euripidi. — Quibus igitur causis poëtam commotum esse censes, ut ab adulterii crimine Helenam liberaret? populine studio? at multa alia populus eaque maiora deorum heroumque, quos colebat, flagitia audire et tolerare consueverat. Qua igitur re commotus est? „at profecto sua ipsius, dixerit quispiam, proba ac candida natura, quoniam saepissime in mythos minus honestos invectus est." — At quomodo-ut id iam concedamus, quamquam dubium est, utrum refingendos, quos reprehendit, mythos an reiiciendos esse putaverit - quomodo dico, fieri poterat, ut quibus vitiis Jovis

filiam in „Helena" purgasset, iis ipsis paucos post annos[4]) in „Oreste" rursus eam macularet? — Jam vero ut non Herculem aut Apollinem aut quemvis alium deorum, sed hanc potissimum sibi deam minorum, ut dicunt, gentium purgandam deligeret, qua tandem ratione potuit adduci? Ac si revera Helenam, Jovis filiam, ab adulterii crimine liberare voluit, quomodo potuit Jovis patris eiusmodi flagitia in hac eadem tragoedia narrare? Quomodo denique poëta ille gloriae plaususque, ut omnes critici conclamant, tam cupidus oblivisci potuit, Helenam et Menelaum, quos ab omni crimine purgare instituerat, Spartiatas esse ideoque apud Athenienses minus probatos? quomodo eo potissimum tempore tantis honoribus Lacedaemonios extollere potuit? acta est enim „Helena" Olymp. 91, 4. (a. 412. a. Chr.[5]) tempore belli Peloponnesiaci, quum post funestam expeditionem in Siciliam factam capta a Lacedaemoniis Decelea omnes Athenienses maximo odio in illos exarsissent. — Itaque ne causis quidem aliunde petitis probari videtur, Helenae bonam famam hac tragoedia restituere, poëtae praecipue fuisse propositum.

6. Atque ut paucis complectar, celebratur sane Helenae fides, sed non ita, ut id maxime poëta sibi proposuisse videatur; Jovis certe filia ab opprobriis liberatur, sed ne id quidem maxime spectavit poëta. Hoc potius eum docere voluisse puto: iustum ac sapientem deum gubernare mundum hominumque sortes moderari; posse id quidem fieri, ut summus deorum vel optimos homines aliquamdiu atque ad certam quandam rem magnos labores calamitatesque sustinere patiatur; nunquam vero, ut saluti eorum non prospiciat tandemque ad pristinam felicitatem eos reducat. — Hanc potissimum esse Helenae Eu-

---

[4]) „Helenam" docuisse poëtam Olymp. 91, 4. (a. 412. a. Chr. n.) patet ex schol. Aristoph.: Av. 347. Thesm. 1012. Ran. 53. cf. Herm. praef. p. VII; „Orestis" autem fabulam actam esse Olymp. 92, 4. (a. 408. a. Chr. n.) docet Eurip. schol. Or. 361. 760. 1678; cf. Bernh. l. l. p. 404.

[5]) Cf. supr.

ripideae summam sententiam et ipsius tragoediae oeconomia indicat, quum ita solum una evadat fabula ac connexa, et universa philosophandi ratio, cui addictus fuit poëta, comprobat. —

§. 3. Sententia proposita ex fabulae compositione probatur.

1. Ipse iam tragoediae prologus poëtae sententiam nobis aperit. Mulierem ante oculos habemus adversae fortunae fluctibus paene obrutam: mirantibus nobis, quonam flagitio hanc tantam illa mulier poenam meruerit, poëta nihil refert, quod ab illa commissum ac tanta castigatione dignum sit. Immo vero artificiis deae in miseriam coniecta est. Quid igitur? nonne indignatione et misericordia abrepti exclamabimus: „ludibrio ergo ut dii nos habeant nati sumus? nullusne igitur deus exstat, qui hominum sortes cum iustitia et sapientia regat ac moderetur?" — At exstat, inquit poëta, summus ille deus; sinit Juppiter ille quidem iniuste Helenam a Venere vexari; sed nonne statim miserae promisit, pristinam felicitatem eam esse recuperaturam [6])? Jam vero hac tragoedia ostendetur, quomodo deo auctore Helena prosperam fortunam bonamque famam recuperet, inimica autem dea, quae Theoclymeni amore etiam nunc Helenam retinere studeat, prorsus eludatur.

2. Primum igitur poëta, ut quasi fundamentum tragoediae iaciat et rem, quam postea dissolvat, quam maxime tamquam complicet, tristissimis Teucri nuntiis Helenam ad summam miseriam pervenire facit. Iam perditam esse causam putas: Helena ipsa saluti suae desperat: sed tunc deus exsistit, qui omnia mala gradatim ab ea avertit. Chorus enim, qui dei quodammodo in antiquis tragoediis partes agit, Helenae, mortem sibi quaerenti, spem affert eique persuadet, ut ex Theonoa, virgine sanctissima, Menelai sortem exquirat. Hunc adhuc vivere virgo illa nuntiat. Deo duce Menelaus naufragio facto in Aegyptum delatus in conspectum uxoris venit et ab ea agnoscitur. Ut ipse veram uxorem eamque innocentem agnoscat, id quoque dei opera efficitur, qui simulacrum illud interea abstulit. Plurimum igitur Helena iam est assecuta: maritum recepit, suam ipsius ei innocentiam probavit. Qua de causa actionis, ut ita dicam, cursum paulisper poëta sistit et quid ipse sentiat, per senem illum Menelai comitem aperit: occultum esse dei animum rationesque, quibus agat, intellectu difficillimas; sed multos post labores felicem finem eum adducere; neque ex vatibus deorum voluntatem esse exquirendam; prudentiam ac consilium optimum esse vatem; iis igitur utendum esse. [7]) — Quod idem in reliqua fabulae parte observari videmus, ubi plurimum quidem dei auxilium prodest, sed et ipsa sibi Helena consulit. —

[6]) Vv. 56 sqq.

3. Artificium enim, quo ex Aegypto fugere possint, ab ipsa invenitur; ad felicem vero exitum illud divino quodam auxilio perducitur, primum quidem quod Theonoë virgo quum patris suique ipsius tum dei gratia fratrem Menelai adventum celat; deinde quod regis mens insano Helenae amore ita erat occaecata, ut imprudenter Helenae eiusque marito fugiendi viam patefaceret. Excitaverat autem dementem illum cupiditatis ardorem ipsa Venus, amoris dea, ut Helena in Aegypto retineretur; ex quo summa quadam ac divina iustitia factum est, ut quae in miserias Helenam coniecerat, ea in pristinam felicitatem illam restituere quasi cogeretur. Denique summus deorum navigantibus secundum ventum deosque maritimos Castorem et Pollucem mittit, qui non modo salvos illos ac tutos patriae reddant, sed etiam divinam gloriam promittant. [8]) Itaque animis placatis abimus, quum infestam deam deceptam viderimus ac victam, miseros illos homines in pristinam felicitatem restitutos. —

[7]) Vv. 711 sqq.: ὦ θύγατερ, ὁ θεὸς ὡς ἔφυ τι ποικίλον καὶ δυστέκμαρτον κτλ. — 744 sqq.: τὰ μάντεων ἐσεῖδον ὡς φαῦλ᾽ ἐστὶ καὶ ψευδῶν πλέα κτλ.

[8]) Vv. 1666 sqq.

4 Sed ne chori quidem carmina a summa illa, quae proposita est, tragoediae sententia aliena sunt. Quae etiamsi aliena essent, tamen sententia nostra refutari non videretur, quum minus arcte apud Euripidem illa carmina cum fabula ipsa connexa esse inter omnes criticos constet. Sed in hac tragoedia res non ita est: omnia carmina in sententiam propositam optime quadrant. Primum enim carmen, quod ab Helena et choro invicem cantatur (v. 179—251; 329—386), hoc spectat, ut Helenae animus erigatur ipsaque ut de Menelai sorte virginem fatidicam consulat impellatur. Carminis quod sequitur (v. 1106 sqq.) priore stropha et antistropha Helenae, Troianorum, Achaeorum calamitates deplorantur. Altera autem stropha et antistropha chorus exponit, quid de miseriis illis sentiat: in varia hominum fortuna quid deus effecerit, permiserit, quid contra deorum voluntatem factum sit, recte semper discernere perdifficile videri; in omnibus autem fortunae fluctibus dei verbum semper esse verum ac iustam causam bene semper evenire. [9]) — Brevi denique interiecto diverbio illud sequitur carmen, quod omnibus fere criticis a fabula alienum et aliunde petitum videtur. Sed ita sese rem habere, equidem non arbitror. Describitur enim carmine illo pulcherrimo Cereris ira hominibus perniciosa ipsisque diis molesta. Quisnam igitur hanc iram excitavit? Venus hoc fecit, quum Plutonem, Proserpinae eum amore inflammans, impulit, ut matri eam abriperet. Quis vero hanc iram placavit? Eadem illa Venus una cum Musis et Gratiis iratam deam lenivit. Nonne optime ergo carmen hoc summae totius tragoediae sententiae accommodatum est? nonne in universa fabula Venus omnis calamitatis causa est ac fons? Sane est, et hic quoque, ut prospera redintegretur fortuna, ipsa, ut iam diximus, adiuvat. — Est quidem obscurum hoc carmen et reconditum et quasi umbra quadam velatur. Sed ita fortasse haec res explicari potest, ut chorum tecte locutum esse statuas, ne regi, qui prope fortasse delitesceret, suspicionem moveret; praesertim quum etiam in diverbio, quod Menelaus et Helena paulo ante habent, eiusmodi simulatio inveniatur. — Iam ultimum carmen restat, quo chorus Helenam et Menelaum, navi soluta in patriam tendentes, amore et desiderio prosequitur precaturque, ut bonam dii navigationem concedant. [10])

9) Vv. 1137 sqq.: ὅ τι θεὸς ἢ μὴ θεὸς ἢ τὸ μέσον, | τίς φησ' ἐρευνήσας βροτῶν | μακρότατον πέρας εὑρεῖν; — vv. 1148 sqq.: οὐδ' ἔχω | τί τὸ σαφές, ὅ τι ποτ', ἐν βροτοῖς. | τὸ θεῶν ἔπος ἀλαθὲς εὗρον.

§. 4. Sententia proposita ex poëtae natura et philosophandi ratione comprobatur.

1. Sententiam, quam in hac tragoedia inesse statuimus, indole quoque poëtae ac philosophandi ratione comprobari putamus. Fuit enim Euripides moribus severis et ad investigandas rerum causas rationesque maxime intentus. Cuius et mentem offendebat et animum angebat, bonos quidem homines magnisque virtutibus praeditos non ea, quam meruerant, felicitate frui, sed vel maximis saepe miseriis torqueri; malos vero non modo non castigari, sed etiam plurimis saepe fortunae donis cumulari. Ac tantopere haec eum res offendebat, ut deos esse bonos et iustos sapientiaque divina hominum fortunam regi, nonnumquam negaret. Neque minus menti et cogitationi eius repugnabat, caeco casu hominum sortes atque universum mundum gubernari; atque in animo eius penitus infixum inhaerebat magnum quoddam desiderium nullis rerum iniquitatibus exstinctum, quo paternum quendam deorum erga homines amorem tamquam suo iure postulabat. Unde orta est illa animi conditio inter anxietatem et fiduciam fluctuans, qua usque ad extremam senectutem hic poëta laborasse videtur. Nam in omnibus eius fabulis quae ad

10) Ad chori verba: πολλαὶ μορφαὶ — τόδε πρᾶγμα (Vv. 1688—92), quamvis sententiam propositam confirment, recurrere non libet, quum de fide h. l. a Nauckio nuper iniecta sit dubitatio, illisque facile carere posse videamur.

nos pervenerunt, hanc animi affectionem aut disertis verbis expressam aut certe nonnullis locis indicatam habes [11]). In fine autem vitae, quum nihil certi tot tamque diligentibus investigationibus invenisset, hoc sibi persuadere studuit — id quod Baccharum fabula docet [12]) — optimum esse ut homines, quum neque certi quidquam invenire queant nec carere rebus divinis, quibus animus in miseriis erigatur, patrium deorum cultum sustineant et in eo acquiescant.

2. Egregie de hac poëtae affectione Bernhardyus disserit, cuius praeclara verba transcribere liceat: cf. Part. II. Vol. II. p. 380: den lauf und ausgang menschlicher geschicke fand er (Euripides) nicht in einklang mit tugend und froemmigkeit; ernstlich beschaeftigt ihn daher der zweifel, wie die moralische verderbniss und die wirren des irdischen lebens mit einer weltregierung sich vereinigen lassen und wie das sittliche bewusstsein, worin unantastbar der religiöse glaube ruht, aus dem grellen zwiespalt zur rechtfertigung gottes gelange . . . . das endliche, soweit es von leidenschaft und subiectivem pathos gefaerbt in der gesellschaft erschien, mit den ewigen prinzipien zu versoehnen und durch reine vernunftgruende beides zu vermitteln, ist eine stete t e n d e n z des Euripides. darin liegt des dichters erhabenheit und t r a g i s c h e g e w a l t, die manche schwaeche vergessen macht.

3. In hanc clarissimi viri sententiam J. Kleinius in libro, qui inscribitur: geschichte des drama's (Leipzig 1865) vehemen-

---

[11]) Scir. frgm. (ap. Nauck., tragg. Gr. frgm., frgm. 685): φεῦ, τῶν βροτείων ὡς ἀνώμαλοι τύχαι. | οἱ μὲν γὰρ εὖ πράσσουσιν, τοῖς δὲ συμφοραὶ | σκληραὶ πάρεισιν εὐσεβοῦσιν εἰς θεούς. — El. 583; Hipp. 1391; 1436; Hec. 488 sqq.; Phoen. 86. 87.; Bell. frgm. 288.; Phrix. fragm. 829; inc. fab. frgm. 892; 908; 925; 941; 956; 964; 1030; 1036. — frgm. 981: ἀλλ' ἔστι, κεἴ τις ἐγγελᾷ λόγῳ, | Ζεὺς καὶ θεοὶ βρότεια λεύσσοντες πάθη. Bacch. 888. sqq.; frgm. 224; 508; 940; 942; 1014; 1015; 1063.

[12]) Bacch. 890 sqq.: οὐ | γὰρ κρεῖσσόν ποτε τῶν νόμων | γιγνώσκειν χρὴ καὶ μελετᾶν· | κ ο ύ φ α γ ὰ ρ δ α π ά ν α νομίζειν κτλ.; 395 sqq.

ter invectus est. Quod quo iure fecerit, non satis intelligo. Nam omnibus fere, quae ad nos pervenerunt, fabulis Euripides docere sibi proposuit, qua ratione res humanae cum divina iustitia congruant, ita ut verissime possis hac in re c o n t i n u u m poëtae s t u d i u m („stete tendenz“) tribuere. Neque tamen omnibus tragoediis consilium illud assequitur; ac ne Bernhardyus quidem, ut arbitror, hoc voluit contendere. In aliquibus enim tragoediis plane desperasse videtur Euripides, propositum ullo modo sese assequi posse deorumque iniustitiam aut aperte increpat aut certe tecte reprehendit. Exempla habes „Andromachen“ et „Hippolytum.“ Prior enim tragoedia Neoptolemi nece finitur tam subdole ac nefarie illata, ut nemo animo non horreat. Nihilominus Thetis dea Neoptolemi interfectorem non modo non castigat, sed etiam omnia comprobat, quae facta sunt. Item Hippolytus, qui propter Dianae cultum ac venerationem a n i m i q u e, ut apertis verbis dicitur, g e n e r o s i t a t e m (1390: τὸ δ'εὐγενές σε τῶν φρενῶν ἀπώλεσεν) mortem praematuram miserrime occumbit, ab illa dea non defenditur. Neque deae Veneris facinus ullo modo castigatur, nisi forte illis verbis, quibus Diana Veneri ultionem minitatur (1420 sqq.) iustitiae satisfactum esse credas. In aliis autem tragoediis discrepantiam illam, quae inter sortem hominis eiusque virtutem nonnunquam intercedere videtur, aliquo tamen modo mitigare studet et explicare, ut in „Troadibus“, ubi crudelissimis victoribus poenae in posterum illos mansurae a Cassandra praedicantur. In plurimis vero fabulis etiam apertius studuit probare, res humanas cum divina iustitia congruere, ut in Alcestide, Jone, Iph. Taurica, Helena, in quibus homines virtute praediti multos post labores meritis tandem praemiis ornantur; ut in Hecuba, Electra, in quibus homines iniusti ac selerati paene miro quodam modo iustis poenis afficiuntur.

§. 5. Sententiae propositae vis et dignitas ostenditur.

1. Restat, ut de sententiae, quam in Euripidis Helena inesse cognovimus, vi ac gravitate pauca dicenda videantur. Hoc quidem neminem negaturum esse puto, sententiam hanc „a deo sapienti et iusto omnia gubernari ac bonos quidem praemiis tandem ornari, malos vero castigari" vere esse excelsam et valde dignam, quae a poëta omni arte illustretur. Itaque apud omnes, quotquot unquam fuerunt, poëtas tragicos hanc sententiam variis quidem et plurimis formis expressam deprehendas, praecipue apud Aeschylum, cuius omnes, quae exstant, tragoediae ex hac sententia pendent; deinde apud Sophoclem, cuius in memoriam revoces Oedipum Coloneum, praeclarissimam illam tragoediam extrema senectute a poëta compositam, qua Oedipum, in priore eiusdem nominis tragoedia summo dedecore opertum, sublevat et ad praeclarum exitum perducit. — Omnes denique tragoediae ut huic potissimum sententiae tamquam fundamento innitantur, artis scenicae natura videtur requirere. Ut enim ex aeterna illa et summa iustitia, quae bonos remunerat, malos castigat, omnis vitae honestas pendet, ita aeternam hanc summae iustitiae legem omnem dirigere tragoediam, ut liberae actionis tamquam simulacrum, prorsus necesse est. Quodsi Euripides apertius hanc sententiam in „Helena" docet, laudandus potius quam vituperandus esse videtur. [13])

2. Sed est tamen in hac tragoedia, quod propositae sententiae minus videatur convenire: qui enim deorum auxilio servantur, parum videntur diis fidere. Ac ne ipsa quidem Helena magnam deorum fiduciam prae se fert. Initio quidem tragoediae Jovis promisso sese credere profitetur; sed paulo post, tristi Teucri nuntio audito, omni abiecta fiducia sibi ipsa mortem inferre parat. Preces illa quidem ad deos mittit [14]), sed ne in his

[13]) Bernhardyus quidnam de summa huius tragoediae sententia senserit, equidem ex magnificis eius verbis: „nuechternheit einer seichten und gedehnten romantik" intelligere non potui.

[14]) Cf. 1093 sqq.

quidem ullam spei significationem reperias; piam vero deorum fiduciam frustra quaeras. — Qui tamen animi status propositae sententiae revera non adversatur. Antiquitatis enim rationem si habueris, profectum eum esse intelliges ex universa antiquitatis religione, qua timere potius quam amare deos, homines docebantur. Atque etiam Euripidis illa animi fluctuatio hac in re alicuius momenti fuisse videtur. Non enim persuasum habens, divina providentia omnia gubernari, sed cupiens magis, ita sese rem habere, ad componendas tragoedias potuit accedere. —

Particula II.

Qua arte composita sit Helenae fabula et quo ex fonte Euripideae poësis vitia manasse videantur.

---

§. 1. Tragoediae argumentum unde poëta sumpserit.

1. Quodsi ad aestimandam eam, quae in Helenae tragoedia exhibita est, poëtae artem nunc accedimus, primum de argumento fabulae dicendum erit. Nam ut aptum sibi quaerat argumentum, sive ex historicis aut mythologicis illud rebus depromit, sive ipse fingit, et primum poëtae munus est et gravissimum. — Tractavit igitur Euripides proposita tragoedia fabulam Helenae, cuius mythi duae exstiterunt formae diversissimae: una perfidam exhibet Helenam ac Troiam eam cum adultero aufugisse narrat, altera prorsus negat, Troiam eam venisse ullumque commisisse flagitium. Quarum illa, ab Homero tradita, ab omnibus fere antiquitatis poëtis et scriptoribus deinceps recepta est ac divulgata; hanc minus notam secutus est Euripides. Quo iure sit secutus, iam investigandum erit. Prius autem inquirendum videtur, quam probata aut cognita saltem Graecis fuerit illa Euripidea, ut ita dicam, mythi forma. Quod enim id potissimum argumentum sibi sumpsit Euripides, de eo aliter est iudicandum, si praeter illam Homericam haec quoque mythi forma satis nota, aliter si nova et inaudita fuit spectatoribus. Quaerendum igitur est, quinam poëtae ac scriptores Graeci ante Euripidem hanc alteram mythi formam tractaverint. —

2. Ipsum Homerum, quamquam vulgarem illam fabulam protulisset, hanc tamen, qua Helena non Troiam venisse, sed in Aegypto remansisse narratur, non prorsus ignorasse, Herodotus (II, 116.) ex Il., VI, 289 sqq. mira argumentatione conatur demonstrare. Quam argumentationem van Hoffius (cf. v. Hoffii commentationem de mytho Helenae Euripideae, Lugd. Bat. 1843, p. 6) his verbis exhibet: „Paris, inquit, secundum Homerum venit Sidonem: Sidon urbs Phoeniciae: Phoenicia pars Syriae: Syria autem affinis Aegypto: ergo Paridem in Aegyptum venisse, non latuit Homerum!" Cuiusmodi argumentis quomodo Baehrius assentiri potuerit (cf. Herodoti Musae, ed. Baehrius Vol I. pag. 682), non video. — Verba autem quae apud Herodotum sequuntur: ἐπιμέμνηται δὲ καὶ ἐν Ὀδυσσείῃ [1]) ἐν τοῖσίδε τοῖσι ἔπεσι·

Τοῖα Διὸς θυγάτηρ ἔχε φάρμακα μητιόεντα,
ἐσθλά, τά οἱ Πολύδαμνα πόρεν, Θῶνος παράκοιτις
Αἰγυπτίη· τῇ πλεῖστα φέρει ζείδωρος ἄρουρα
φάρμακα, πολλὰ μὲν ἐσθλὰ μεμιγμένα, πολλὰ δὲ λυγρά.

καὶ τάδε ἕτερα πρὸς Τηλέμαχον Μενέλεως λέγει·

Αἰγύπτῳ μ'ἔτι δεῦρο θεοὶ μεμαῶτα νέεσθαι
ἔσχον, ἐπεὶ οὔ σφιν ἔρεξα τεληέσσας ἑκατόμβας,

Herodoti non sunt, sed recte supposita habentur. (cf. Schaeferum in Herod. edit.; Bredovium in quaestt. critt. de dialecto Herod.; van Hoffium l. l. p. 11.) Neque vero si genuina essent haec verba, ad probandam hanc Herodoti sententiam quidquam afferrent, quum nihil aliud ex illis effici possit, nisi fuisse unquam Helenam in Aegypto. — Alii post Herodotum aliis Homeri locis idem probare studuerunt, ut scholiasta Aristidis (cf. scholia in Aelii Aristidis orationes ed. Guil. Frommel p. 56, Welck. in Jahnii Ann. 1829, p 279) ex Il. V, 451, ubi de Aeneae εἰδώλῳ loquitur Homerus, demonstrare studuit, ei cognitum fuisse illud Helenae εἴδωλον! — Homerus, ut equidem arbitror, alteram de Helena famam non novit; si novit, nullo certe verbo in poëmatis, quae ad nos pervenerunt, eam attingit. —

---

[1]) Odys. IV, 227—30. — Odys. IV, 351. 52.

3. Neque Homero proximi cyclici, qui dicuntur, poëtae, quantum ex Procli compendio conficere licet, aliam atque Homerus de Helena famam protulerunt. Qua de re cf. van Hoffium l. l. p. 14. Hesiodum contra alteram Helenae fabulam novisse ipsumque simulacrum memorasse, apertum exstat testimonium. Scholiasta enim Lycophronis ad v. 822 „Alexandrae" hoc dicit: πρῶτος Ἡσίοδος περὶ τῆς Ἑλένης τὸ εἴδωλον παρήγαγεν. Nullam de his verbis Bergkius (cf. Poëtae lyr. Graec., ed. alt., p. 747) movet dubitationem; et fortasse conieceris, in deperdito illo καταλόγῳ γυναικῶν Hesiodum eam rem attigisse. Sed docti viri satis certa, ut mihi videtur, ratione demonstrarunt, hunc locum esse corruptum atque ita legendum: πρῶτος Στησίχορος (Goettlingius ad Hesiodi fragm. LVI.) περὶ τῆς Ἑλένης λέγων (addidit Geelius) παρήγαγε τὸ εἴδωλον. cf. v. Hoff. l. l. p. 79. —

4. Tragici denique poëtae, qui ante Euripidem floruerunt, aut res Troianas omnino non tractarunt, ut primi illi tragoediarum auctores, Thespis, Pratinas, Choerilus, Phrynichus [2]), aut Homerum in tractando Helenae mytho sunt secuti, ut Aeschylus in Oresteia. De Sophocle dubitatur. Quatuor enim eius laudantur fabulae, in quibus primas partes Helena videtur egisse: Ἑλένη (schol. ad Aristoph. Equit. 84); Ἑλένης ἁρπαγή (ὑπόθεσις Aiacis); Ἑλένης ἀπαίτησις (schol. ad Eurip. Phoen. 312; Erotianus p. 180; Strabo XIV. p. 643; Hesychius s. v. ἀναχαιτίζω); Ἑλένης γάμος (Athen. III. p. 76 d.; saepius). Quatuor autem quae videntur esse Sophoclis fabulae a viris doctis ad duas sunt redactae. Demonstrarunt enim, unam eandemque Sophoclis fabulam scriptores antiquos variis nominibus laudasse, alios simpliciter Ἑλένῃ, alios Ἑλένης ἁρπαγῇ, alios Ἑλένης ἀπαιτήσει: hanc fuisse tragoediam, ad quam altera accessisset, Ἑλένης γάμος, quae fuisset drama satyricum (cf. Nauck. tragg. Graec. fragm. p. 136; Dindorf. Soph. perdit. fabul. fragm., ed. tert. p. 40; Herm. in praef. ad Eurip. Helenam p. XV. sqq.). Huius igitur tragoediae Sophocleae (Ἑλένη=Ἑλένης ἁρπαγή=Ἑλένης ἀπαίτησις) argumentum idem fuisse atque Helenae Euripideae sunt

[2]) De Phrynichi Troïlo cf. Welck. Griech. trag. p. 20. —

qui existiment, ut Schoellius in vita Soph. p. 237. et in libro qui inscribitur: nachtraege zur kenntniss der tragischen poësie der Griechen p. 246; van Hoffius l. l. p. 53 sqq; Hermannus de hac re dubitat, cf. praef. ad Hel. p. XVI; Welckerus ita fuisse negat, cf. d. griechischen tragoedien etc. p. 117. sqq.; addit p. 1553 sqq. Ac mihi quidem eam ob causam huic viro clarissimo videtur assentiendum esse, quod quum tot antiquitatis de mira, quam Euripides tractavit, Helenae fama testimonia exstent, ne uno quidem Sophoclem idem illud fecisse indicatur. —

5. Atque ut ad scriptores veniamus, qui disertis verbis illam, quam Euripides secutus est, Helenae fabulam tradiderunt: sunt illi quidem Stesichorus et Herodotus, prior notissima illa palinodia, alter in historiarum, quas scripsit, libro II (c. 112–120). Palinodiae tres [3]) tantum ad nos pervenerunt versus, quos in Phaedro Plato exhibet. Dicit enim p. 243 A: ἔστι δὲ τοῖς ἁμαρτάνουσι περὶ μυθολογίαν καθαρμὸς ἀρχαῖος, ὃν Ὅμηρος μὲν οὐκ ᾔσθετο, Στησίχορος δέ· τῶν γὰρ ὀμμάτων στερηθεὶς διὰ τὴν Ἑλένης κακηγορίαν, οὐκ ἠγνόησεν, ὥσπερ Ὅμηρος, ἀλλ' ἅτε μουσικὸς ὢν ἔγνω τὴν αἰτίαν καὶ ποιεῖ εὐθύς·

Οὐκ ἔστ' ἔτυμος λόγος οὗτος·
οὐδ' ἔβας ἐν νηυσὶν εὐσέλμοις,
οὐδ' ἵκεο πέργαμα Τροίας·

καὶ ποιήσας δὴ πᾶσαν τὴν καλουμένην παλινῳδίαν παραχρῆμα ἀνέβλεψεν. Exorsus est, ut videtur, his versibus poëta. Quid deinde protulerit, praeter illud, quod idem Plato commemorat (cf. Plat. de rep. IX, 586 C.), simulacrum dico Helenae, incertum est eritque, quamvis subtiliter eruditeque de his rebus a viris doctissimis Kleinio, Welckero, Heinischio, Fritzschio, Geelio, Hermanno, van Hoffio, Bergkio [4]), aliis disputatum sit. Neque ad id quidem, quod nobis propositum est, hae res magni sunt momenti. Suf-

[3]) Vv. πολλὰ-οὖλας (Cf. Bergk. l. l. p. 748) quo referendi sint, dubium videtur.

[4]) Klein., in edit. frgmm. Stesich.; Welck. op. I p. 208 sqq.; Heinisch, l. l.; Fritzschius, Arist. Thesm. v. 946; Geel., mus. Rhen. VI. p. 1 sqq., Herm., praef.; van Hoff. l. l.

ficit id, de quo omnes consentiunt: non veram Helenam, sed simulacrum eius Troiam allatum esse, Stesichorum in palinodia narrasse.

6. Nam id solum quaeritur, num ex hac palinodia possit comprobari, alteram Helenae fabulam aut latius iam cognitam fuisse aut exinde esse divulgatam. Num id solum, quod populi ore ferebatur, Stesichorus carmine illo expressit? — Adversatur huic sententiae id, quod de Stesichori caecitate traditur et miro illo modo, quo sanatus esse dicitur, quae fabella ad eam rem videtur excogitata, ut, quare compositum sit eiusmodi carmen, aliqua tamen ratione explicaretur. — At alios fortasse Stesichorus secutus est auctores, quorum opera ad nos non pervenerunt? Ne id quidem verisimile est. Plato enim auctores illos, si exstitissent, et nosset et laudasset, aut certe alio modo Stesichorum induxisset, quem inventorem illius de Helena famae satis aperte facit (cf. verba: καὶ ποιεῖ εὐθὺς κτλ.). — Esto, dixerit quispiam; nihil eiusmodi ante Stesichorum notum fuerit; ipse finxerit omnia: ad propagandam tamen istam Helenae famam haec palinodia, a plurimis fortasse lectitata, multum valuit. — Valuisset sane, si ut Homeri carmina ita Stesichori quoque exemplaria omnium in manibus fuissent. Sed primis illis ante Euripidem temporibus poëtam Siculum tantopere celebratum fuisse, minus probabile videtur, quum ne postea quidem valde notus fuerit. Nam omnia antiquitatis, quae exstant, de Stesichori palinodia testimonia [5]), ex verbis Platonis, quae supra attulimus, videntur pendere. Cf. Geelii epist. ad Welck. de Stesichori palinod. in mus Rhen. 1839; v. Hoffium p. 32.

7. Restat Herodotus, qui non Euripideam illam quidem Helenae famam, sed simillimam tamen prolixius narrat. Simulacrum pater historiae non memorat. Helenam vi abreptam cum Paride in Aegyptum venisse narrat. Ibi Proteum regem, quum rem cognovisset, Paridem in patriam demisisse, ipsam vero retinuisse, ut Menelao postea redderet. Graecos interea Troiam oppugnasse quamquam Troiani, non in urbe esse Helenam sed

[5]) Bergk. l. l. p. 747.

in Aegypto remansisse, affirmassent. Expugnata tandem urbe, Helenam non esse repertam. In Aegyptum igitur Menelaum profectum esse atque uxorem ibi recuperasse. Haec fere Herodotus narrat (II, 118. 19.) multaque deinde ad firmandam hanc de Helena famam acriter argumentatur (II, 120.). Et hoc potissimum Herodoti testimonio nisus Euripides novam illam Helenam in scenam videtur produxisse. Neque vero mihi persuadeo, etiamsi vera habentur, quae de recitatione operis Herodotei, Olympiae aliisque locis habita, traduntur, uno illo Herodoti testimonio novam hanc de Helena famam tantopere fuisse pervulgatam, ut Euripides in hac tragoedia plurimis atque omnibus fere spectatoribus, praesertim quum Stesichori inventum, simulacrum dico, addidisset, inaudita prorsus et mira non afferret.

§. 2. Num probari possit, hoc potissimum argumentum poëtam sibi delegisse.

1. Id certe poëtis tragicis concedendum est, ut, sive ex historia sive ex mythis tragoediarum argumenta deligunt, aliquas res minus graves mutent. Qua tamen in re summa opus est moderatione, ne spectatores offendant. Itaque iam Aeschylum videmus in rebus mythicis enarrandis ad Homerum quam proxime accessisse. Quo plus sibi sumpsit Sophocles. Euripides vero „quidlibet audendi“ sibi arrogavit potestatem neque dubitavit Electram, Agamemnonis, magni regis clarique ducis filiam homini rustico infimaeque conditionis in matrimonium traditam serviliaque obeuntem munera in scenam producere. Summum autem audaciae fastigium in „Helenae“ tragoedia attigit: in „Electra“ enim regias quidem feminas habes in servitutem deiectas, sed homines habes; hac vero „Helenae“ tragoedia simulacrum poëta ausus est inducere ex aëre confectum. Itaque affirmare non dubito, vehementissime poëtam in deligendo hoc tragoediae argumento errasse, ac primum quidem, quod miraculis, quae plurima et maxima affert, auditorum diffidentiam aut risum excitat; deinde quod ita est complicatum, ut nisi magna ingenii

contentione neque intelligi neque ab altera mythi forma discerni possit; denique quod bellum Troianum, gloriosissimum illud Graecae historiae exordium et tamquam fundamentum, risui exponit ideoque, ut ita dicam, crimen laesae nationis committit.

2. Primum igitur simulacri fictio tam mira non potuit non movere omnium diffidentiam. Quis enim facile credat, quum per viginti (cf. Il. XXIV, 765) annos Paris cum illo simulacro vixisset, quum per septem deinde annos cum eodem Menelaus omnibus in maribus iactatus esset, neutrum tamen vana sese imagine deceptum intellexisse? Fidem autem spectatorum si tollis, omnis tragoediae vis ac virtus tollitur: nam nisi veris aliquem miseriis obrui tibi persuasum est, misericordia commoveri non potes. Quomodo enim, ut exemplum afferam, in initio tragoediae violenta Helenae lamentatione, cui tota fere insequens fabula innititur, commovebimur, si inania esse haec omnia neque unquam miserrimam hanc Helenam exstitisse, nobis persuaserimus? Immo vero risum eiusmodi declamationes excitabunt, sicut homines personati, qui aliquibus in regionibus certisque diebus domos circumeunt alieno ornatu, multa et gravia verba facientes, puerulis quidem, qui nihil falsi suspicantur, summam venerationem ac timorem, adultis vero, qui simulationem illam optime noverunt, risum movent et hilaritatem.

3. Sed forsitan dicat aliquis: At est poësis genus quoddam (id quod „maerchen“ nostra lingua appellamus), ad quod res mirae omnemque exspectationem longe superantes maxime requiruntur: cur ergo non statuimus, istiusmodi poëma, i. e. fabellam omni ex parte fictam Euripidem in scenam producere voluisse? Quod si voluit, nonne suo iure fecit? — Plurimae sane res mirae in hanc tragoediam ita sunt congestae, ut fabella fere evadat, quae cum fabellis illis „mille et unius noctis“ comparari possit: adest simulacrum, maximum prodigium; adest Aegyptus, miraculorum, quae habebatur patria; adest virgo sacerdos, omnia sciens, dea quaedam, quae in eiusmodi fabellis semper invenitur; omnia denique hanc sententiam videntur comprobare. Sed una re eaque gravissima impedimur, quominus fabellam a poëta tractatam esse concedamus. Nam non omnia ab ipso ficta sunt: notissimo mytho mira ista et incredibilia adnexa sunt et implicata. Aliud autem est, omnino novas res quamvis inauditas narrare — eiusmodi enim fabella hominum animi si non altius penetrantur, at delectari tamen possunt — aliud, de homine notissimo et paene familiari, quae credi non possint, proferre: hoc nihil nisi dubitationem movet vel indignationem.

4. Sed ut mittam miracula, illud unum iam magnopere videtur vituperandum, quod nimis implicatum est et contortum tragoediae argumentum. Spectatoribus enim, Homerica illa mythi forma a pueritia imbutis, novae huius Euripideae fabulae decursum mente persequi, imaginem Helenae inhonestae et adulterae, quam attulerant, ex mente cogitationeque expellere ac novam hanc reponere, virtute constantiae fortitudinisque insignem, difficilius fuisse puto ac molestius, quam ut magnopere hac tragoedia commoverentur. Summam enim tragoediae vim propriamque virtutem hac ratione tolli aut valde imminui, quis est qui non intelligat?

5. Denique id in deligendo argumento poëta videtur peccasse, quod de gloria belli Troiani aliquid detraxit, praesertim quum bellum illud praeclarissimum, pulcherrimis Homeri carminibus celebratum, quia prima fuit universae Graeciae communis expeditio, singulos Graecorum populos arctius coniunxisset itaque historiae Graecae fundamentum exstitisset. Quodsi cogitas, tot Graecorum heroas tamque illustres per decem annos gravissimos in eo pertulisse labores et clarissimos quosque praematura morte esse abreptos, nonne bellum illud omnibus Graecis sacrum fuisse putas summisque laudibus efferendum? Et quisquam dubitabit, quin novam hanc fictam fabulam omnes ad unum Graeci reiecerint ac respuerint, qua simulacro illusos heroas illos pugnasse diramque mortem occubuisse poëta narrat? — Ac si quis dicat, Stesichorum idem fecisse neque in Euripide vituperari posse, quod in Stesichoro laudetur, plurimum inter lyricum poëtam et tragicum interest et ut, quae in foro minime decent, excusantur in convivio, ita a lyricis multum luditur, quod tragicae gravitati non convenit. — Ex iis igitur, quae diximus, satis elucere videtur, primum gravissimum-

que tragici poëtae munus, aptum ut eligat argumentum, in hac quidem fabula minime Euripidem tuitum esse et hac ipsa re totius tragoediae vim et gravitatem infregisse. —

§. 3. Quomodo argumentum poëta tractaverit.

1. In deligendo tragoediae argumento minus praeclare a poëta actum esse cognovimus; nunc videamus, quomodo singula instructa sint atque adornata. Ac primum laudandus est poëta, quod unam actionem eamque perfectam et absolutam nobis proposuit; si minus σπουδαία (Aristot. Poët. 6) est actio, quam induxit, attamen μία est, ὅλη καὶ τελεία (Aristot. Poët. 8.) In compluribus quidem fabulis Euripideis haec actionis, quae dicitur, unitas neglecta est, ut in Andromacha, Hecuba, Troadibus, Phoenissis, Hercule furenti, aliis; non vero id peccatum est in hac tragoedia. In eo autem huius fabulae actio cernitur, quod Helena cum diis amicis contra Theoclymenum deosque ei faventes enititur ac contendit, ut recepto marito in patriam honestamque famam restituatur. Quae res ita continuo singularum partium nexu deducitur, ut quae causa paene victrix in initio tragoediae exstiterat, in fine omnino victa sit et perdita. Ubi enim mariti mors Helenae nuntiata est, iusta eius causa derelicta videtur; sed miserrima mulier brevi erigitur ac gradatim primum ad spem, deinde ad fidem ducitur, inter vivos esse maritum; denique ipsum videt, agnoscit, ab ipso agnoscitur. Quumque Theoclymeni insidias in memoriam revocans iterum paene saluti desperet, iterum ad spem, deinde ad fidem perducitur, sese cum marito servatum iri; denique interventu Dioscurorum in patriam, honestam famam omnemque pristinam felicitatem restituitur. —

2. Continuae igitur et absolutae actionis laus Euripidis Helenae est tribuenda. Sed quum in ceteris huius poëtae fabulis, tum in hac offendimur prologo, qui tragoediae praemittitur. Omnibus enim artis scenicae legibus repugnat. Tuetur quidem Euripideos prologos vir ingeniosissimus idemque criticus sagacissimus, Lessingius, neque tuetur tantum et defendit, sed etiam magnopere celebrat ostenditque, in altiorem perfectionis gradum artem scenicam iis evectam esse (cf. Hamb. dramat. I, 48. 49.): de quo nemo fere doctorum virorum, qui de prologis scripserunt, ei assensus est. Omnes enim, qua ratione Euripides adductus esset, ut artis leges tantopere negligeret, explicare studuerunt. Qua de re maxime diverse est iudicatum ab Eichstaedtio, Jacobsio, Schlegelio, Hermanno, Firnhabero, Bernhardyo.[8]) Proxime fortasse ad veritatem accedas, si pluribus causis ad hanc negligentiam delapsum esse poëtam statuas: primum enim, qua erat indole philosophica, leges scenicae artis minus sive intellexisse sive observasse videtur; deinde mythorum quas fecerat immutationes indicare voluit; denique utile duxit, infimae conditionis plebem, quae concesso θεωρικῷ theatrum frequentabat, de universo tragoediae decursu erudire. —

3. Helenae et Teucri quod sequitur diverbium ab Hermanno minus probatur. Dicit enim in praef. ad Hel. p. XI: „adest Teucer, exsul Cypriam Salamina petens, persona non necessaria ac propemodum inutilis, nisi ut ex eo captam esse Troiam, Menelaumque non esse Argis nec Spartae Helena cognoscat. Non poterat illa quidem haec ab Theonoa quamvis gnara accipere, quod hanc fratri suo adversari non decebat. At poterat somnio moneri.“ — Neque tamen viro clarissimo assentiri possum; inutilis enim mihi ne ita quidem Teucri persona videretur, si illud unum prohiberet, quominus epicum prologum epica subsequeretur somnii narratio. Sed aliud multoque maius, quam Hermannus statuit, Teucro impositum est munus, quod aut ipsum Teucrum aut heroa Teucri similem requirebat. Quanto enim odio universa Graecia Helenam prosequeretur, non tam narrare voluit poëta, quam exemplo ante oculos posito monstrare. Neque quisquam hanc ad rem Teucro aptior erat, qui propter Helenam gravissima mala perpessus, fratre, patre, patria

[8]) Cf. Firnhab. in Jahn's archiv, 1851; de ceteris cf. Bernh. l. l. p. 394.

privatus novamque quaerens exsul erraret. Ac ne id quidem offendit, quod poëta Teucrum omnia maria pervagantem in Aegyptum appelli facit.[9]) Illud vero Heinischio et Hermanno concedendum est, nimis levi praetextu Teucrum adductum esse et nimis celeriter eum, infecta re, abire. Ad quae duo vitia, de quibus hi viri docti iam monuerunt, tertium, ut equidem puto, addendum est. Laudat Hermannus, quod Helena, quae esset, non detexerit: quid? num id quoque laudandum est, quod Teucer Helenam non agnovit ac ne levissimam quidem habuit suspicionem? nonne Teucer, qui non ignoraret, Menelaum cum uxore in patriam nondum esse reversum, simulac mulierem vidit Helenae simillimam, id statim suspicaretur necesse erat, Helenam cum Menelao casu in Aegyptum delatam esse, praesertim quum audiret, res Graecorum imprimisque Menelai huic mulieri et notissimas et maxime cordi esse? num denique probari potest, Teucrum ne uno quidem verbo, quae tandem esset, quaesivisse, sed pueri, qui examinatur, simillimum superato examine laetum ac festinantem abiisse? Equidem non mihi facile persuasero, hac in re verisimilia poëtam attulisse. (cf. v. 68—163.)

4. Quare haec quidem tragoediae pars pulchre est inventa, sed minus apte instructa. Insequens autem Helenae et chori lamentatio (v. 164—385) omni fere ex parte laudanda est. Id imprimis optime verissimeque instituit poëta, ut chorus Helenam consolaturus non statim eam cohortaretur, sed primum, verba eius repetens, una cum ea lamentaretur; deinde quum iterum Helena querelas effudisset, paucissimis verbis (v. 252. 53.) patientiam laudaret; tum demum quum Helena longiore et magis iam sedata narratione (v. 255—305) adversam, qua afflicta esset, fortunam exposuisset, id proponeret, quod faciendum esse putaret. — Atque illud etiam ex humani animi natura verissime descriptum est, quod Helena ex virgine vate iamiam auditura, utrum aliqua salutis spes relinquatur an omnino sit desperandum,

[9]) Cf. Heinisch. l. l. p. 40.

gravissimas querelas effundit. (v. 330—385) — Sed aliqua tamen macula haec quoque tragoediae pars aspersa est: vv. dico frigidissimos 299—303, quibus Helena deliberat, quanam morte pulcherrime possit vita excedere. Quae deliberatio, quidquid dicit Firnhaberus (cf. Zimmermann's zeitschrift fuer die alterthumswissenschaft, iahrgang VI [1839] p. 11.), hominum naturae prorsus repugnat. Neque quemquam, qui acerbissimis doloribus cedens revera mortem expetat, hoc modo deliberare, sed primam quamque mortem appetere arbitror. Huiusmodi autem vitia, quae plurima apud Euripidem occurrunt, mentis rationisque contentione magis quam poëtico illo, quem Democritus requirit, furore eum egisse, satis probant.

5. Quod Schlegelius contendit, nonnullas Euripidis fabulas socco quam cothurno esse propiores, in eam profecto, quae sequitur, Helenae partem cadit. Nam Menelaum regem, quem ceteris in fabulis malignum fecit et improbum (cf. Andromacham, Orestem), in hac quidem „Helenae" parte (v. 385—514) inducit ridiculi hominis partes sustinentem. Scenam enim ingreditur rex clarissimus ac Troiae victor miserrimo habitu, squalida laceraque veste indutus, mendicus: quae res optimum praebet exemplum illius studii Euripidei, quo abreptus exterioribus saepissime rebus spectatorum misericordiam movere conatur, praeclarissimum quemque in maximam egestatem coniiciens regesque et heroas pannis indutos vel claudos proponens; (in memoriam revoces huius poëtae Oeneos, Phoenices, Philoctetas, Telephos, Bellerophontes, alios.) Quod poëtae studium in Acharnensibus (v. 393 sqq) Aristophanes lepidissime castigat, Hartungius, qua est in Euripidem pietate, magnopere laudat (cf. Eur. rest. vol. II. p. 328.) Sed poëtae illi comico hac in re assentiendum esse, quis est qui non videat? Sane lacerae vestes ac miserrima egestas spectatorum admirationem movent, dummodo cum vera animi magnitudine sint coniuncta atque id potissimum efficiant, ut haec virtus ac fortitudo animi ex rerum angustia atque inopia etiam magis eluceat ac splendeat. Sin autem, ut in Euripidis Menelao, sub veste mendici vilem quoque mendici animum reperis, si anilem offendis loquacitatem (v. 386 sqq.),

maximam si vides in lamentando postulandoque pertinaciam (v. 440 sqq. 500 sqq.) invictamque patientiam omnia opprobria serviliter ferentem (v. 437 sqq.), si denique animadvertis, qua prudentia ac calliditate divitum imploretur auxilium (v. 433 sqq.) — haec profecto persona non metum tibi ac miserationem, sed risum movet aut taedium. — Jam vero quae Menelaus de verbis ancillae secum deliberat (v. 483 sqq.), ea etiam maiorem spectatorum credulitatem requirunt, quam ipsum Helenae simulacrum. Quid? hominem suae mentis sibi persuadere potuisse putas, ut in Graecia sic in Aegypto esse terram Lacedaemoniam, urbem Spartam, regem Tyndareum, eius filiam Helenam, praesertim quum disertis verbis anus dixisset, non in Aegypto Helenam esse natam, sed ante bellum Troianum Sparta advenisse (v. 476)? — Ac ne causa quidem fuit, cur poëta Menelaum ita disputantem induceret. Nam stupefacto etiamtum ac de iis, quae audierat, cogitanti Helena obviam venire potuit; neque tamen timendum fuit, ne minus verisimiliter videretur ab eo repudiari. (v. 593.) At maluit, credo, poëta regem nobis proponere ad mendicandum iterum sese accingentem.

6. Quae sequuntur (v. 515—621) fusius fortasse, ceterum pulchre exponuntur. Id imprimis et aptissime et verissime dictum est, Helenam non esse ausam, futuram mariti suamque ipsius fortunam ex vate exquirere (v. 536): aptissime quidem, quum summa spectatorum exspectatio ea re concitetur; verissime autem, quum huiusmodi timor humanae naturae maxime proprius sit, ut aegroti ei morbo, quo maxime anguntur, medicum adhibere verentur. — In Menelai autem et Helenae quod sequitur diverbio, id acute, ut iam Wielandius dixit, (cf. neues attisches museum, Vol. II. p. 37. 38.) inventum est, quod Helena eo ipso argumento Menelaum avertit (v. 588), quo vel maxime eum convictum iri speraverat.

7. Postquam coniuges inter se agnoverunt, canticum proferunt tam eximiae pulchritudinis, ut etiam Hermannus in „Helenae" editione, criticis potissimum studiis occupata, copiosius de arte huius carminis disputaverit. Liceat clarissimi viri verba transcribere: „Menelaum, inquit p. 64, ut virum, ut regem, ut

ducem exercitus, ut multa aspera expertum, quique non desideratam diu uxorem invenisset, sed simulacrum nihil a vera uxore diversum commutasset cum ea quae vera est, sedatiorem et minus agitatum esse conveniebat, quam Helenam, quae vi marito erepta, diuturno cruciata desiderio, barbari viri connubium timens, ubi vivere maritum audivit, ubi praesentem vidit, ubi frustra, ut ab eo agnosceretur, operam dedit, ubi abeunte iam ex insperato potita est, non potest non et gaudio propter praesentem felicitatem et recordatione praeteritorum malorum et pudore propter indignam infamiam et dolore ob domesticam calamitatem, cuius ipsa quamvis insons causa fuit, commoveri variisque his animi affectionibus perturbari vehementissime. Itaque Menelai gravior ac tranquillior oratio est, trimetros plerumque habens: Helenae autem sermo vehementior et rapidior, fere dochmiacis numeris luxurians..." —

8. In colloquio coniugum, quod sequitur (v. 761—864), est fortasse, quod tollere velis, ut vv. 805—15, alios. Tum iterum — minus tamen hoc loco offendit — quod genus voluntariae mortis gloriosissimum sit, anquiritur (v. 841). Helenae autem quaestiones, quae leguntur v. 762 et 773, si cui minus probantur, illi non assentior. Pulcherrime enim ea re efficitur, ut Menelaus de instanti periculo doceatur. Helenam enim iam per tempus aliquod periculi, quod ex Theoclymeno imminere sciebat, meminisse patet; sed felicitatem, qua fruitur, diutius retinere cupiens, primam illam quaestionem: ὅπως δ' ἐσώθης, ὦ τάλας, Τροίας ἄπο, | κέρδος μὲν οὐδὲν εἰδέναι, πόθος δέ τις | τὰ τῶν φίλων φίλοισιν αἰσθέσθαι κακά, profert, non ut iam omnia audiat, sed ut periculi memoriam et cogitationem ex animo expellat. Quin etiam ea quaerit, quae ipsa optime novit (v. 773 sq.): ἓν δ' εἰπὲ πάντα παραλιπών, πόσον χρόνον | πόντου 'πὶ νώτοις ἅλιον ἐφθείρου πλάνον; (cf. v. 112. sqq.) eam unam ob causam, ut molestam imminentis periculi cogitationem gravissimasque sollicitudines paulisper retardet. Sed Menelai responso (v. 775 sq. ἐνιαυσίους πρὸς τοῖσιν ἐν Τροίᾳ δέκα | ἔτεσι διῆλθον ἑπτὰ περιδρομὰς ἐτῶν), quo sese erigi curisque exsolvi posse speraverat, plane affligitur. Nam dum animo cogitat, maritum post septemdecim annos, laborum

plenos, in Aegyptum tandem delatum, ad nihil aliud servatum esse, nisi ad mortem acerbissimam, iam sibi imperare non potest et lamentationem illam (v. 777 sq.): φεῦ φεῦ· μακρόν γ' ἔλεξας, ὦ τάλας, χρόνον. | σωθεὶς δ' ἐκεῖθεν ἐνθάδ' ἦλθες εἰς σφαγάς, invita erumpit.

9. Pervenimus ad Helenae et Menelai orationes (v. 894—995), quibus Theonoae misericordiam captare eiusque auxilium impetrare student. Quae orationes summa sane arte rhetorica compositae sunt, atque ut Wielandius monuit (cf. neues attisches museum vol. II. p. 48. 49), ex ingeniis moribusque utriusque personae variatae; tragoediae tamen minime conveniunt. Naturae enim repugnat, homines in summo periculo versantes aut doloribus timoreve cruciatos, qui simpliciter ac breviter loqui soleant, orationes habere omni arte optimoque sententiarum ordine compositas ac politas. Est hoc vitium poëtae proprium. Cuius in omnibus fere fabulis eiusmodi orationes occurrunt. „Imprimis," inquit Nauckius, de Euripidis ingenio disserens, „certamina amat et controversias personarum in scena tamquam foro litigantium omnesque dicendi artes experientium" (cf. praef. ad Eur. tragoed. p. XXVI).

10. Reliquam tragoediae partem antiquis quidem spectatoribus, qui fraude, quae in Theoclymenum regem suscipitur, minime offenderentur, summopere placuisse puto. Magnam enim exspectationem commovet et lucide decurrit. Jure tamen reprehendas effusum Helenae et Theoclymeni colloquium v. 1193 sqq. Praeclaram autem nuntii narrationem, qua Helenae fraudem fugamque exponit (v. 1526—1618), non possis non maxime admirari. Atque omnes fere hae ῥήσεις ἀγγελικαί apud Euripidem eximiae sunt pulchritudinis: vide sis Iphig. Taur. v. 1327 sqq., praesertim Hercul. fur. v. 922 sqq. Hoc fortasse Kleinio (l. l. p. 428) assentiendum est, quod nimis amplas esse nonnunquam has narrationes dicit eoque consilio institutas esse videri, ut fugientibus tempus praeberetur. Exempla affert Iphigeniam Tauricam et Helenam.

§. 4. Quomodo personarum ingenia ac mores poëta descripserit.

1. Ex omnibus personis, quas in hac tragoedia Euripides producit, virtute ac moribus principem sine dubio locum obtinet, quae primas quoque tragoediae partes agit, Helena. Est, ut Hermannus dicit, „uxor viri amans"; sedtamen pulcherrima illa verba, quibus pietatem erga maritum testatur, nonnunquam speciosius quam verius dicta esse videntur. Exemplum afferam vv. 805 sqq., quibus Helena Menelaum hortatur, ut solus fugiat: quid? Menelaus aufugere seseque servare potuit, Helena non potuit? aut verum mariti amorem aut sanum iudicium in hisce Helenae verbis desidero ac suspicor ea potius, quae spectatorum animos commoverent, quam vera hoc loco Euripidem protulisse. — Calliditatem vero vaferrimae mulieris, qua maritum longe superat, optime poëta depingit. Desideres autem in Helenae persona id, quod supra iam indicavimus, animum in adversa fortuna perferenda firmiorem et maiorem deorum fiduciam (cf. vv. 164 sqq. 776 sqq.)

2. In Menelai persona nonnihil iam vituperavimus. Nulla prorsus est morum aequabilitate: modo abiecti animi, hebetis ingenii et paene ridiculus est (v. 386 sqq.), modo „fortis moriendi consilio" (verba sunt Hermanni), si non „praesente" (cf. Herm. praef. ad Hel. p. XV), at imminente tamen periculo (v. 835 sqq. 982 sqq.) et satis dexter, praecipue in altera tragoediae parte. —

3. Theonoam Hermannus appellat piam moderatique animi et decorae humanitatis feminam. Bernhardyus, qui ceteras omnes tragoediae personas vituperat, huius tamen virginis sacerdotali quadam dignitate movetur. Sedtamen ne istam quidem omni ex parte laudat; „hoechstens, inquit Part. II. Vol. II. p. 429, erhebt sich das priesterliche bild der Theonoë ueber ihre matte gesellschaft und doch bleibt ihre stellung schief." Quod non potes illi non assentiri. Primum enim Theonoae interrogatio v. 873:

Ἑλένη, τί τἀμὰ πῶς ἔχει θεσπίσματα;

gravitati sacerdotis virginisque dignitati minus convenit, quum

nescio quid iactationis vel vanitatis indicare videatur. Sed multo etiam minus apti videntur vv. 892 et 893:

τίς εἶς' ἀδελφῷ τόνδε σημανῶν ἐμῷ
παρόνθ', ὅπως ἂν τοὐμὸν ἀσφαλῶς ἔχῃ;

Quid? serione ita loquitur? Menelaum revera est proditura? Quod si est, quomodo dicere audet: v. 1002, ἔνεστι δ' ἱερὸν τῆς δίκης ἐμοὶ μέγα | ἐν τῇ φύσει? Hoc δίκης ἱερόν si revera possedit, nonne iam diu soror fratri, sacerdos homini iniusta molienti, pia filia filio patris commissa negligenti vel vitae ipsius periculo debuit obstare? An vero ea iocata est, ut per tempus aliquod potentia, qua istos Graecos aut servare aut perdere posset, frueretur? Quid? quod crudelissimorum tyrannorum proprium esse solet, miserorum hominum angoribus delectari, id virgine, sacerdote, id „pia illa moderati animi decoraeque humanitatis femina" dignum fuit? — Facile igitur Hartungio, qui hos versus Euripidi abiudicat (cf. vorrede zur Iphigenie in Aulis, Erlangen 1837), assentirer, nihil curans Firnhaberum, contra disputantem (cf. Zimmermann's zeitschr. fuer alterth. 1839, p. 205), nisi satis perspicuum esset, eam ob rem poëtam haec verba addidisse ut Helenae et Menelai orationes apte annecterentur. — Denique vituperandum est in Theonoae persona, quod facta dictis non congruunt. Dicit enim vv. 1010. 11:

ἡμῖν ὅδ' αὐτὸς μῦθος. ἀδικοίημεν ἂν | εἰ μὴ 'ποδώσω. —

At ubi reddit? quidnam facit, ut Menelaus servetur? audias velim vv. 1022. 23:

αὐτοὶ μὲν οὖν τιν' ἔξοδόν γ' εὑρίσκετε,
ἐγὼ δ' ἀποστᾶσ' ἐκποδὼν σιγήσομαι.

Haec inter se non quadrant „reddam" — „ipsi invenite exitum". Cur non fratrem adducere conatur, ut Helenam dimittat, aut fatetur, se ad commovendum fratris animum nihil valere et reticendo tantum eos adiuvare posse? Id quidem pulchrius veriusque fuisset, quam multa de iustitia declamare, quum antea ne uno quidem verbo fratris iniustitiae adversata esset, tum vero sola dissimulatione iam sibi satisfecisse putaret.

4. Theonoam igitur non tam praeclaram habemus, quam Hermanno placet, neque vero Theoclymenum tam barbarum, stupidum, ferocem. Dicit enim Hermannus l. l. p. XV: „Rex, ut barbarus ferocia praeceps, nec valde sagax." At barbari quidem ferociam in Theoclymeno non invenio. Neque enim rex in omnes peregrinos saevit, sed in Graecos tantum, neque animi ferocitate, sed Helenae amore eum ad saevitiam adductum esse puto, id quod multis tragoediae locis indicatur. (cf. 156 sqq. 440 sqq. 468 sqq.) Neque quomodo hoc fieri potuerit, difficile est intellectu. Timebat enim, ne a Graecis Helena sibi eriperetur. — Quod vero rex ab Helena decipitur, ex eo non sequitur, stupidum illum fuisse. Immo multo verius et aptius ex flagrantissimo Helenae amore id derivari potest: verius quidem, quum nusquam alibi in hac tragoedia stupiditatis indicia in rege inveniantur ac constet, etiam accutissimum ingenium, magna cupiditate perturbatum, vehementer interdum falli atque errare; aptius autem pulchriusque, quum maxime deceat, Helenam, a Venere in miseriam coniectam, eiusdem deae malignitate non detineri ac perdi, sed liberari et servari.

5. Inferiorum personarum ingenia accuratius, quam ab antiquis poëtis fieri solet, descripta et ad naturam accomodata sunt. Ancilla enim regis anus est, quales saepe occurrunt, magnae erga dominum fidei et cuius verba quamvis aspera mitem tamen animum indicant. — Nuntius autem, qui Menelao simulacrum e spelunca evolasse nuntiat, homo est animi mitis et hilaris, satis loquax (cf. vv. 726 sqq.), ad docendum (vv. 711 sqq.) et iocandum (616 sqq.) valde propensus, custodis illius, qui in Sophoclis Antigona inducitur, non dissimilis.

6. Chorus denique optimis Euripidis choris est comparandus. Helenae penitus addictus est; afflictam consilio erigit, proficiscentem non invidia, sed precibus prosequitur. In extrema denique tragoedia ad Theonoam defendendam insigni est fortitudine. Neque vero intelligo, quibus causis adductus sit Hermannus, ut contenderet, „praeter expectationem" hanc fortitudinem exhiberi.

§. 5. Num consulto Euripides scenicae artis leges neglexerit.

1. Omnia fere, ut vidimus, quae in universis Euripidis fabulis vituperantur, in hac quoque tragoedia offendunt. Una illa quidem et continua actio proposita est et chori cantica arctiori, quam fieri solet, vinculo cum actione coniuncta sunt: sed habes illas, quae plurimae occurrunt, digressiones philosophas; habes nimium illud concitandae misericordiae studium regesque pannosos; personas habes vulgares magis quam heroicas et tamquam e domestica vita in scenam productas; orationes habes perpolitas ac foro magis-aptas quam theatro, prologum denique et epilogum deosque qui dicuntur „ex machina", multa praeterea negligenter et parum ad veritatem ficta, stilum effusum, metra luxuriantia.

2. Ac si quaeris, quo ex fonte vitia haec profluere videantur, plurimi profecto critici artis defectum Euripidi in culpam vertunt. Dicunt enim, facillime eum haec omnia vitare potuisse, quum summi fuisset ingenii neque artis scenicae leges ignorasset; consulto ergo hac ratione eum egisse artemque neglexisse, ut populi studia sibi conciliaret. Audias ea de re Schlegelium l. l. p. 131: „er strebt immer nur zu gefallen, gleichviel durch welche mittel." p. 143: „so suchte der dichter seine poësie den Athenern durch die aehnlichkeit mit ihrem taeglichen lieblingsgeschaeft, processe fuehren, entscheiden oder wenigstens anhoeren, unterhaltend zu machen;" Witzschelium (in Paulii Encycl. Vol. III. pag. 293): „(dem) zeitgeiste zu huldigen war Euripides, der rhetor, philosoph und dichter zugleich war, vorzueglich geeignet, und dieses nachgeben, dieses anschmiegen an den geist seiner zeit, mit dem er um die gunst des publicum's buhlte, die befriedigung der wuensche seiner zeitgenossen und ihres entarteten geschmackes ist es vorzueglich, was ihm den tadel aelterer und neuerer kritiker zugezogen hat." Etiam vehementius Kleinius poëtam accusat. Dicit enim, l. l. p. 407: „nicht um die maengel seiner dichtungen, nicht um die schranken seines dramatischen genie's, nein, um das falsche, leichtsinnige, grundsaetzlich auf befriedigung des zeitgeschmackes gerichtete

bestreben, um dessentwillen verfaellt Euripides den ewigen hoellenstrafen der aristophanischen komik . . . keinerlei aesthetische milderungsgruende sprechen ihn von der todsuende frei: den schlechten, entarteten instincten seines zeitalters nachgebuhlt und die strenge und heiligkeit seiner kunst der geschmacksunzucht seiner zeitgenossen preisgegeben zu haben." p. 425: „die zuschauer wollte er mit den staerksten, wiederholten schlaegen erschuettern: an die gesetze seiner kunst kehrte er sich nicht, wo es solche wirkungen galt." Quin etiam ipsi scholiastae nimium illud poëtae studium notant, cf. ad Orest. 128: ἐφελκυστικὸς γάρ ἐστιν ὁ ποιητής, οὐ φροντίζων τῶν ἀκριβολογούντων. ad Phoen. 1485: τίνι γὰρ ἀπολογεῖται, εἰ μὴ τῷ θεάτρῳ; — Cui sententiae, consulto poëtam, ut populi favorem captaret, leges artis neglexisse, equidem non possum assentiri. Quare non possim, paucis dicam.

3. Primum quidem ex poëtae natura et indole haec vitia facillime oriri poterant. Nemo enim non concedet, Euripidem, magno ingenii acumine praeditum, ad pervestigandas rerum causas ac rationes magnopere inclinasse ac philosophum magis fuisse quam poëtam. Quicunque autem mente cogitationeque acriter laborantes carmina scribunt, facillime in vitia quaedam abundantiae incidunt atque oratoris magis vigorem et impetum, quam sublimem veri poëtae tranquillitatem prae se ferunt, id quod apud Schillerum quoque nostrum deprehendes, si cum Goethio eum comparaveris. Itaque quod rhetoricae arti in tragoediis Euripides nimis indulsit, non, ut Schlegelius contendit, consulto institutum esse puto, ut litigiosorum Atheniensium animi captarentur, sed, invito poëta, ex philosophica eius natura ortum. — Alia Euripidis vitia ex ipso philosophandi genere, cui addictus erat, possunt explicari. Si enim statuimus, id propositum esse poëtae tragico, ut liberis hominnm actionibus, secundum artis regulas prolatis, ostendat, omnes res hominum legibus aeternis ac divina quadam iustitia gubernari ac dirigi: quomodo is veram tragoediam scribere potest, qui multitudine scelerum calamitatumque, quae ubique occurrunt, turbatus deorum providentiam negat aut saltem in dubitationem vocat? Ac

si concedendum est, eam, quam diximus, in Euripide fuisse animi affectionem, dubitare non possumus, quin plurima ex ea vitia emanarint, ut epilogus, deorum interventus, argumentorum implicatio varios vitae casus imitans, coacervatio humanae miseriae, philosophae digressiones, alia vitia.

4. Nullam igitur esse causam arbitror, cur consulto neglexisse artem Euripides accusetur, nisi forte tanta fuit vanitate atque ambitione, ut omni modo studium populi captaret. At id quidem, quod omnes vitae eius scriptores tradunt, moribus eum fuisse severis ac vitae tumultum populique frequentiam fugientem solitudinem petiisse, quin etiam tristitiam quandam et austeritatem in vultu atque ore prae se tulisse, nimiam vanitatem indicare non videtur. — Maxime vero ab adulationis crimine eo liberatur poëta, quod corruptus ille populi sensus, cui indulsisse dicitur, quum tragoedias suas docebat, nondum exstiterat. Ac rem ita se habere, exiguo aequalium plausu probatur. Nam si revera Euripides pravo populi sensui blanditus esset, non potuisset fieri, ut quinquies tantum primas obtineret, quum aequalis eius Sophocles pari fere tragoediarum numero amplius vicies praemio ornaretur. Qui enim de tragoediis iudicarent, ex eodem populo delecti erant, cuius studiis poëta sese accommodasse, cuius ut sibi conciliaret gratiam, artem neglexisse fertur. An vero censes, populum veri pulchrique vi ac virtute abreptum et quasi invitum reiiciendis eius tragoediis sese ipsum sensumque suum toties damnasse? Id quidem minus credibile videtur. Sed si damnavit, cur non Euripides id, quod ad conciliandum populi favorem contra leges artis ac suam ipsius sententiam instituerat, quum nullam eiusmodi adulationis perciperet fructum, omisit atque ad veram artem rediit? Quod quum non fecerit, mihi quidem non videtur consulto artem corrupisse.—

5. Atque ut paucis nunc comprehendamus, quid de Euripide et philosopho et poëta iudicemus, Euripides philosophus magis fuit, quam poëta; et vere philosophus fuit purissimo veritatis amore ductus neque ut sophista ostentationis causa philosophabatur. Atque ea, quae in tragoediis eius vituperantur, non ad captandam comprobationem popularem consulto sunt commissa, sed profluxerunt ex Euripidis philosophandi studio. Aequalibus igitur minus placuit poëta; sed quum non ita multo post tempora prorsus immutata ac pristina simplicitas ac pietas antiqua labefactata essent et paene exuta — id quod ultima Euripidis aetate et post mortem eius magis magisque factum esse videtur — tragoediae eius, quibus huiusmodi temporum morumque immutationem et venturam nuntiaverat et pro rata parte adduxerat, in dies magis celebrabantur. Nostris igitur temporibus, quibus non iam Euripideis illis doctrinis, sed sola poëtae arte animi commoventur, Euripidis fabulae minus probantur, nisi quod Romanicae nationes iusto magis rhetoricam illius indolem ac virtutem mirantur. —

Particula III.

Observationes exegeticae et criticae.

---

§. 1. De rebus aliquibus, quae ad exteriorem tragoediae oeconomiam spectant.

1. In Pharo insula huius tragoediae actionem constitutam esse Hartungius censet (cf. Eur. rest. Vol. II p. 322; eiusdem Helenae ed. p. 15.) Pharum autem insulam diei iter ab Aegypto afuisse Homerus narrat Odys. IV, 354 sqq. Quod si fuit, Helena in Pharo insula commorans, non potuit dicere, v. 1:

Νείλου μὲν αἵδε καλλιπάρθενοι ῥοαί,

quum pronomen demonstrativum Nilum in conspectu fuisse significet. — Atque si propius ab Aegypto Pharum insulam afuisse et Euripides et spectatores optime novissent, ne tum quidem haec Helenae verba apta viderentur. Antiqui enim poëtae tragici, qui „schedulas theatrales" (theaterzettel, ut nos dicimus) non haberent, primis tragoediae versibus et disertis verbis de loco actionis tragicae spectatores docere solebant. Helenae autem verbis Νείλου μέν κτλ. non Pharum insulam, sed Aegyptum significari, facile est intellectu. — Tum vero (excepto v. 5) nusquam in hac tragoedia Pharus insula nominatur; ubi loci, in quo tragoediae scena constituta est, mentio fit, Aegyptus aut aperte nominatur, aut significatur; cf. vv. 89. 451. 462. 491 (Νείλου παρ' ὄχθας). 671. 682., aliis locis. — Denique vv. 1038. et 1039. Menelaus Helenam hortatur, ut ab amicis Aegyptiis cur-

rum petat, quo fugere possint. Helena hoc consilium reprobat, sed attendas, quibus verbis reprobet; non dicit: „in insula sumus; navi opus est, non curru", sed: ἀλλὰ τίνα φυγὴν φευξούμεθα | πεδίων ἄπειροι βαρβάρου τ' ὄντες χθονός; — Si in Aegypto coniuges fuisse statuis, mirum hoc responsum aliquo tamen modo intelligi potest; sin autem in insula eaque tam exigua, nullo modo. Hartungius dicit, Hel. ed. p. 230: „wenn Menelaus zu wagen entfliehen will, so kann es sich natuerlich nur um ein fluechten in das binnenland handeln." Sed unde fugit? a Pharo insula (cf. Hart. l. l. p. 15) in interiores Aegypti partes (!), idque non navi, sed curru! — Equidem puto, in Aegypto esse scenam tragoediae, versum autem quintum, quo demonstrari potest, si v. 46 comparatur, in Pharo insula Helenam versari, ab erudito quodam lectore esse additum, qui ex Homeri Odyssea novisset, Proteum in insula Pharo commoratum esse.

2. Firnhaberus ubi de arte exponit, qua Euripidis Helena composita sit, de nuntio, qui simulacrum evanuisse dicit, haec affert: „mitten in der rede verstummt er ob des anblicks der Helena und eilt schnell von dannen, strafen fuer seine reden fuerchtend, sich selbst der dummheit beschuldigend" cf. Zimmermann's zeitschrift fuer alterth. 1839, p. 3. — Haec non recte disputat vir doctus. Non obmutescit nuntius Helenam aspiciens, sed statim eam alloquitur: „ὦ χαῖρε, Λήδας θύγατερ. Non poenam timere, sed iocari videtur senex (cf. v. 619... οὐκ ἐῶ σε κερτομεῖν ἡμᾶς κτλ.) Suam ipsius eum accusare stupiditatem, non lego. Neque eum post v. 622 de scena decessisse ac postea, v. 699, ut Firnhaberus contendit, iterum ingressum esse puto. Nam qua de causa redierit? „ihn treibt, inquit Firnhaberus, die neugier herbei; denn sicherlich waren die liebkosungen zwischen Helena und Menelaus ihm seit Troia's falle etwas sehr neues." — Ergo propinquo quodam loco speculatorem egit! Hoc non aptum videtur, itaque nuntium illum inde a v. 597 usque ad v. 757 in scena remansisse puto.

3. In altera tragoediae parte, ubi iterum prodit Theoclymenus, Hermannus usque ad v. 1451 eum in scena remansisse censet. Equidem aptius esse puto, Theoclymenum precibus,

quas Menelaus fundit (v. 1441—1450), non interesse, itaque cum Wielandio, Prevostio, Hartungio facio, qui ad v. 1441 eum decessisse statuunt.

4. Hartungius ad vv. 744 sqq. haec annotat (cf. Hel. edit. p. 218): „(hier) ist uebrigens noch der widerspruch merkwuerdig, in welchem der philosoph Euripides mit dem dichter Euripides erscheint. der dichter hegt die maerchen und verwendet den aberglauben, also auch die wahrsagungen der Theonoë zu seinen zwecken; der philosoph dagegen verwirft dieselben." Non video hanc in hac tragoedia discrepantiam inesse. Nam etiamsi concedendum est, ipsius poëtae sententiam hoc loco per nuntium illum exponi (aliter Firnhaberus censet, l. l. p. 203), nullo tamen modo sibi ipse poëta repugnat. Theonoam enim non ex numero vatum esse, qui vituperantur, quum plurimis tragoediae locis (cf. vv. 13. 14. 317. 530. 823), tum ex iis, quae chorus facit, probari potest. Nam v. 758 chorus nuntio vates reiicienti assentitur; atqui v. 317 ipse Helenam, ut Theonoam virginem adeat, impellit; ergo maiorem quandam et paene divinam scientiam illi tribuerit necesse est. Postea vero quum Helena et Menelaus Theonoam quaerunt (v. 830), non agitur de consulenda vate, sed de imploranda eius, quae Menelaum adesse sciret, dissimulatione ac reticentia.

---

§. 2. De aliquibus tragoediae locis aut aliter interpretandis aut corrigendis.

1. Vv. 1—3:

Νείλου μὲν αἵδε καλλιπάρθενοι ῥοαί,
ὃς ἀντὶ δίας ψακάδος Αἰγύπτου πέδον
λευκῆς τακείσης χιόνος ὑγραίνει γύας.

Retinent hanc librorum scripturam Pflugk., Hermannus, Dindorfius, Fixius, varie explicantes. Hermannus dicit p. 7: „explicari talia possunt repetito verbo, quasi dicat Αἴγυπτον ὑγραίνων ὑγραίνει γύας (?). — Dindorfius, annott. in Eurip. Vol. II. p. 863: „γύας negligentius adiectum quasi non praecessisset

πέδον." Cui respondet Badhamius (cf. Eur. Iph. Taur. et Hel., Lond. 1851): „immo tam negligenter, ut ita scripsisse Euripidem non credam." — Coniecturas fecerunt: Jacobsius (πέδων), Lobeckius (χοαῖς), Reiskius (ῥοαῖς), Βέλλιος (in annal. Φιλίστωρ, Τομ. Α. p. 157: „πιθανῶς τὸ ἕτερον τῶν δύο τούτων ὀνομάτων πέδον-γύας οὐδὲν ἄλλο ἐστὶν ἢ ἀλλοίωσις τοῦ ἐπιθέτου πλέως); Hartungius et Hirschigius πέδου scribere volunt, quod receperunt Nauckius et Witzschelius, et probari posset, „si Αἰγύπτου pro adiectivo usurpari" (Badh.) posset. — Venit mihi in mentem, ex interpretatione scholiastae fortasse vitium exortum esse, ita ut verbo πέδον explicandi causa γύας adscriptum esset, quod negligentia librarii in versum tertium intrusum veram inde scripturam expulisset. Itaque fortasse legendum est: v. 2. 3:

ὃς ἀντὶ δίας ψακάδος Αἰγύπτου πέδον
λευκῆς τακείσης χιόνος ὑγραίνει μόνος.

2. v. 72 . . . . ἐχθίστην ὁρῶ | γυναικὸς εἰκὼ φόνιον, mutata litera ν in ς legendum puto: ἐχθίστης ὁρῶ | γυναικὸς εἰκὼ φόνιον, qua correctione levissima et symmetria attributorum efficitur et aptior praebetur sensus.

3. Vv. 35. 36 . . . . καὶ δοκεῖ μ'ἔχειν, κενὴν δόκησιν, οὐκ ἔχων . . . Ita haec verba Hermannus interpungit; in commentario autem dicit: „etsi δοκεῖ κενὴν δόκησιν iungi possunt, tamen significantius ipsa Helena κενὴ δόκησις vocatur." Ut ingenue confitear, prorsus non intelligo, quid sibi velit vir clarissimus. Quid? ipsa Helena vocatur κενὴ δόκησις? appositio ergo est ad pronomen με referenda, ac vertendum: „Paris putat me habere, quae sum vana imago, quum non habeat." Attamen vera Helena loquitur; neque etiamsi simulacrum illud loqueretur, aptam sententiam ex Hermanni interpretatione haec verba praeberent. — Aliter, sed nimis artificiose, haec verba Monkius explicat ad v. 7. Alcest.: „τῶνδ' ἄποινα accusativus est disiunctus et seorsim accipiendus, qualis Hel. 35 . . .; ipsam, quae praecedit, sententiam respicit accusativus." Plurimi editores, si ex interpunctione coniicere licet, huic interpretationi favent, ut Pflugkius, Witzschelius, Fixius, Badhamius; (ed. Hervag. habet καὶ δοκεῖ μ'ἔχειν, κενὴν δόκησιν οὐκ ἔχων). Sed et facilius et pulchrius Kirchhoffius, Har-

tungius, Nauckius κενὴν δόκησιν ad δοκεῖ referunt; cf. Matth. gr. Gr. §. 408 b., Krueg. §. 46, 5. —

4. Vv. 375 sqq.: „ὦ μάκαρ Ἀρκαδίᾳ ποτὲ παρθένε κτλ.“ „Locus, inquit Nauckius praef. alt. ed. p. LII, corruptissimus criticorum conatus elusit.“ Mihi quidem huius loci corruptio exorta videtur ex verbo ματρός (v. 377), quod sententiarum nexui omnino repugnat. Detestatur enim Helena pulchritudinem, qua non solum ipsa immerito in miseriam coniecta sit, sed etiam aliis hominibus quamvis invita multas calamitates excitaverit; alias autem feminas, quibus pariter insignis quaedam pulchritudo causa miseriae fuerit, ideo felices praedicat, quod ipsae solae calamitates expertae sint, neque alios homines miseros reddiderint. „Mea autem, inquit, pulchritudo Ilion perdidit et Achaeos.“ — Cum sua igitur ipsius sorte mulierum, quas nominat, fortunas comparat; mentio Ledae matris universae loci sententiae repugnat; intrusum esse puto verbum illud ματρός a librario, quem antecedentia verba: Διὸς ἃ λεχέων ἐπέβας fefellerunt; legendum esse videtur loco ματρός μοίρας; quod sequitur ἐμᾶς, admisso verbo ματρός, corruptum est ex vera lectione τᾶσδ'. — v. 376 ἐπέβας cum Hartungio corrigendum esse videtur in ἀπέβας (vid. ipsum l. l. p. 208, ubi coniecturae explicat rationes.) Verba ὄμματι λάβρῳ σχῆμα λεαίνης, Callistus mytho prorsus repugnantia, interpolata esse videntur. Totum igitur locum hoc modo legendum esse puto:

ὦ μάκαρ Ἀρκαδίᾳ ποτὲ παρθένε Καλλιστοῖ, Διὸς
ἃ λεχέων ἀπέβας τετραβάμοσι γυίοις,
ὡς πολὺ μοίρας τᾶσδ' ἔλαχες πλέον,
ἃ μορφᾷ θηρῶν λαχνογυίων
ἐξαλλάξασ' ἄχθεα λύπης.

5. V. 708:

Ἥρας τάδ' ἔργα καὶ θεῶν τρισσῶν ἔρις,

fortasse legendum:

Ἥρα τάδ' ἔρδει καὶ θεῶν τρισσῶν ἔρις.

6. Vv. 871. 72:

νόμον δὲ τὸν ἐμὸν θεοῖσιν ἀποδοῦσαι πάλιν
ἐφέστιον φλόγ' εἰς δόμους κομίζετε.

„τὸν ἐμόν, inquit Badhamius l. l. p. 12, quod et sensum pessumdat et στίχον κακόμετρον efficit, vitiosum appellare non dubito.“ Kirchhoffius Vol. II. p. 507 coniicit πόνον δὲ νόμιμον. Equidem proponam σέμνον et ᾄδουσαι, quod librarii pro abbreviato ἀποδοῦσαι habuerunt. Itaque legendum esse videtur: νόμον δὲ σέμνον θεοῖσιν ᾄδουσαι, πάλιν κτλ.

7. Vv. 1006 sqq.:

ἡ Κύπρις δ'ἐμοὶ
ἵλεως μὲν εἴη, συμβέβηκε δ'οὐδαμοῦ.

Verba συμβέβηκε δ'οὐδαμοῦ non aptum sensum praebent. Neque propterea Veneris causam Theonoë non sequitur, quod nunquam sibi Venus faverit (συμβέβηκε adstitit, Matthiae), sed quod iniusta Venus moliatur. Exspectas huiusmodi sententiam: „benigna sit Venus si placuerit; quodcumque autem eveniet, nunquam illam, iniusta facientem, adiuvabo.“ Itaque scribendum esse puto συμποιήσω vel συναδικήσω vel simile quid, ac pro οὐδαμοῦ οὐδαμῶς. Fortasse ex interpolato versu sequenti, πειράσομαι δὲ παρθένος μένειν ἀεί, quem Badhamius et Nauckius iure eiecerunt, vitium ortum est.

---

§. 3. De aliquibus huius tragoediae locis interpolatis aut suspectis.

1. De v. 5. supra iam diximus.

2. vv. 125. 26:

Ἑλ. αἰαῖ· κακὸν τόδ' εἶπας οἷς κακὸν λέγεις.
Τευ. ὡς κεῖνος ἀφανὴς σὺν δάμαρτι κλῄζεται,

quare suspectos habeam, multa concurrunt: primum quidem v. 125 dupliciter intelligendus esse dicitur (cf. Pflugkium, Hartungium), alio sensu a Teucro, alio ab ipsa Helena. Sed prior ipsorum verborum sensus: „κακὸν τόδ' εἶπας οἷς κακὸν λέγεις“, nimis ieiunus videtur, quam ut Euripidem sic scripsisse putem. — Tum offendunt verba ὡς κεῖνος in Teucri responso v. 126; denique verbum κλῄζεται, quod paucos post versus (132) iterum occurrit, minus apte hoc loco cum ἀφανής coniungitur. —

3. v. 291, ex Porsoni emendatione:

εἰς ξύμβολ' ἐλθόνθ' ἃ φανέρ' ἂν μόνοις ἂν ἦν·

Nauckius annotat (ed. pr. p. XIX): „versus aut delendus aut aliter emendandus". Aliter emendare conatus est Cobetus (cf. Badh. l. l. p. 5): ἀμφανῆ μόνοις ἂν ἦν. Mihi quidem suppositus esse videtur hic versus a docto quodam viro, qui Homeri loci meminerit, Od. ψ. 109: ἔστι γὰρ ἡμῖν | σήμαθ', ἃ δὴ καὶ νῶι κεκρυμμένα ἴδμεν ἀπ' ἄλλων. Nam deinde, vv. 580 sqq., quum Helena Menelai dubitationem tollere non possit atque ab illo relinquatur, nihilominus nullis utitur eiusmodi „symbolis". —

4. vv. 559. 60:

Με. οὐπώποτ' εἶδον προσφερέστερον δέμας.

Ἑλ. ὦ θεοί· θεὸς γὰρ καὶ τὸ γιγνώσκειν φίλους.

Haec verba, quae secum loqui Menelaus et Helena putandi sunt, si deessent, nihil desiderares. Neque satis intelligo, cur Aristophanes in Thesmophoriazusis Euripidem deridens, quum totum fere hunc locum attulerit, hos potissimum versus omiserit.

5. vv. 880. 81:

Ἥρα μὲν ἥ σοι δυσμενὴς πάροιθεν ἦν,

νῦν ἐστιν εὔνους κεἰς πάτραν σῶσαι θέλει,

legendum esse puto:

Ἥρα μὲν εὔνους εἰς πάτραν σῶσαι θέλει·

Nusquam enim in hac tragoedia Iuno Menelao infesta perhibetur, sed ab initio partibus eius favet.

INDEX.